Accession No.....

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS
CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

OPERA OMNIA

VOLVMINIBVS SEPTEM EDIDIT ADDITOQVE
VOLVMINE DE VITA ET SCRIPTIS EIVS DISPVTAVIT

MICHAEL IOSEPHVS POHL

VOLVMEN ALTERVM

TRACTATVVM ASCETICORVM PARTEM ALTERAM
COMPLECTENS

DE IMITATIONE CHRISTI

CVM NOVEM TRACTATVLIS

CVM ADPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBVRGENSIS

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMPTIBVS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MDCCCCIIII
VINDOBONAE ARGENTORATI MONACHII S. LVDOVICI AMERICAE

1904

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS
CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

DE

IMITATIONE CHRISTI

QVAE DICITVR LIBRI IIII CVM CETERIS
AVTOGRAPHI BRVXELLENSIS
TRACTATIBVS

ADIECTIS EPILEGOMENIS ADNOTATIONE CRITICA
INDICIBVS TABVLIS PHOTOGRAPHICIS

EX AVTOGRAPHO EDIDIT

MICHAEL IOSEPHVS POHL

WITHDRAWN

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMPTIBVS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICI
MDCCCCIII
VINDOBONAE ARGENTORATI MONACHII S. LVDOVICI AMERICAE

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 22. Decembris 1903.

✠ Thomas, Archiepps.

Omnia jura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisigavorum.

MEMORIAE

MATRIS · OPTIMAE · CARISSIMAE

D · D · D

FILIVS · PIENTISSIMVS

PRAEFATIO.

Ad Thomae a Kempis operum omnium edendorum confirmandum consilium, quod ut caperem quo temporum meorum decursu adductus sim, infra p. 484 habes, praeter argumentorum praestantiam sublimitatemque haec potissimum tria deliberata plurimum apud me valuerunt: Exemplarium editorum raritas, neglegenter recognitorum condicio, librorum libellorumve multorum in antiquioribus, nonnullorum in Sommalianis editionibus absentia. Sed antequam de consilio illo exequendo inter Herderum redemptorem, virum honestissimum, et me conveniret, cum specimine aliquo dando, quid in eo genere possem, visum esset periclitandum esse, Orationes et meditationes de vita Christi, opus cum oblivione per Germaniam paene obrutum, tum critica ratione omnium miserrime iacens elegi, quod primum integritati restituerem. Quem conatum postquam viris doctis in-

signiter probari vidimus, Thomae opera omnia voluminibus septem, quibus octavum de vita et scriptis eius adderetur, ita edere statuimus, ut Orationes illae praeposito generali titulo specialique paulo aucto quinto loco interpositae in totum corpus reciperentur.

Conspectus autem singulorum tractatuum per volumina distributorum hic est:

Vol. I: Liber de tribus tabernaculis. — De vera compunctione. — Sermones IX ad fratres. — De fideli dispensatore. — Soliloquium animae.

Vol. II, quod ex autographo Bruxellensi editum manibus tenes: De imitatione Christi quae dicitur libri IIII. — De disciplina claustralium. — Epistula devota ad quendam regularem. — Libellus spiritualis exercitii. — De recognitione propriae fragilitatis. — Recommendatio humilitatis. — De mortificata vita. — De bona pacifica vita. — De elevatione mentis. — Brevis admonitio spiritualis exercitii.

Vol. III (praeter Orationes ex autographo Bruxellensi altero): Meditatio de incarnatione Christi. — Sermones de vita et passione Domini. — Alphabetum monachi. — Van goeden woerden to horen ende die to spreken [cum translatione Latina ex adverso adposita]. — Orationes

de passione Domini et beata virgine et aliis sanctis.

Vol. IIII: Hortulus rosarum. — Vallis liliorum. — Consolatio pauperum. — Epitaphium monachorum. — Vita boni monachi. — Manuale parvulorum. — Doctrinale iuvenum. — Hospitale pauperum. — Cantica. — De solitudine et silentio. — Epistulae.

Vol. V: Orationes et meditationes de vita Christi. Epilegomenis et apparatu critico instructas ad codicum manu scriptorum editionumque vetustarum fidem recognoscebat emendabatque Michael Iosephus Pohl. Cum Thomae effigie. Friburgi Brisigavorum. Sumptibus Herder, MDCCCCII.

Vol. VI (ex autographo Lovaniensi): Sermones ad novicios. — Vita Lidewigis virginis.

Vol. VII: Dialogus noviciorum in quatuor partes distinctus: a) Dialogus noviciorum. b) Vita Gerardi Magni. c) Vita Florentii. d) Vitae discipulorum Florentii. — Chronica montis S. Agnetis.

Vol. VIII: De Thomae Hemerken a Kempis, canonici regularis ordinis S. Augustini, vita et scriptis disputavit Michael Iosephus Pohl.

Horum voluminum quinque prima et sexti priorem partem complecti vides

opera ascetica, eiusdem alteram partem et septimum historica. In quorum serie adornanda, quantum quidem aequabilis cuiusdam singulorum voluminum ambitus ratione habita fieri potuit, fere adplicavimus nos ad „Titulos librorum et tractatuum fratris thome kempis“ incerti auctoris, sed intra septendecim post mortem Thomae annos confectos [1]. Emittentur autem post volumen tertium, quod sub prelo est, deinceps sextum, primum, quartum, septimum, octavum. In qua emissione ne rectum numerorum ordinem perturbatum esse mirere, quae eius inmutationis causa in quinto volumine fuerit, iam supra exposuimus; in ceteris autem ad usum sermonis Thomaei ex ipso fonte pernoscendum optandum videbatur, ut primum qui tractatus in autographis insunt atque ante omnes praeclarissimi de imitatione Christi quae dicitur libri foras darentur; reliqua volumina „Titulorum“ ordinem secuta se excipere consentaneum erat.

Restat, ut subsidiorum in singulis tractatibus recognoscendis emendandisque a me adhibitorum eorumque historiae, aestimationis, diiudicationis, usus in uniuscuiusque voluminis epilegomenis accurate

[1] Cfr. vol. V 385, vol. II 475.

a me rationem redditum iri moneam. Adhibui autem non solum quotquot extant autographa, sed etiam codices optimos adhuc maximam partem vel neglectos vel ignotos editionesque cum ceteras tum omnium primam Traiectensem anni circiter 1473 (= Hain 9768, de Backer 2888), quibus artis criticae regulis insistens ita usus sum, ut postulationibus et asceticorum et philologorum satisfacere studerem. Quod utrumque ut consociarem, quomodo operam dederim, infra p. 479 rettuli. Denique ne quid desit, quod in huiusmodi editionibus optabile censeri hodie solet, adnotationem criticam, indices locupletissimos tabulasque photographicas adicienda curavimus curabimusque, quae duo posteriora in volumine quinto haud scio an mea culpa aegre desiderentur.

D. a. d. III kalendas Ianuarias MDCCCCIIII Poppelsdorpio prope Bonnam.

ARGVMENTVM HVIVS VOLVMINIS:

Tractatus:

pag.

I. Admonitiones ad spiritualem vitam utiles (= De Imitatione Christi liber I) . . 3

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 4.

II. Admonitiones ad interna trahentes (= De Imitatione Christi liber II) 57

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 58.

III. Devota exhortatio ad sacram communionem (= De Imitatione Christi liber IIII) 89

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 90.

IIII. Liber internae consolationis (= De Imitatione Christi liber III) 139

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 140—142.

V. Libellus de disciplina claustralium . . 265

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 266.

VI. Epistula devota ad quendam regularem 321

VII. Libellus spiritualis exercitii 329

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 330.

VIII. Libellus de recognitione propriae fragilitatis 357

Eiusdem tractatus index capitulorum p. 358.

IX. Recommendatio humilitatis 375

pag.

X. De mortificata vita 383

XI. De bona pacifica vita 393

XII. De elevatione mentis 397

De elevatione mentis ad inquirendum summum bonum p. 399.

De verbo increato aeterno et immenso super omnes docentes animam illuminante p. 403.

De aestuanti desiderio animae cum fuerit visitata a Verbo unico sponso suo dilecto p. 408.

Oratio de abrenuntiatione omnium mundanorum p. 409.

Oratio de felici consummatione in virtutibus p. 411.

Exhortatio ad humiliationem et compunctionem p. 413.

Oratio de lacrimosa contritione peccatorum p. 414.

Oratio de amore virtutum et odio vitiorum p. 415.

Oratio. De patientia in tribulatione et angustia cordis p. 417.

XIII. Brevis admonitio spiritualis exercitii . 419

Praemonitio p. 421.

De oratione p. 421.

De lectione p. 422.

De operatione p. 422.

De choro p. 423.

De vigiliis matutinis p. 424.

De meditatione post matutinas p. 425.

De custodia cellae p. 425.

De exitu ad laborem p. 426.

De oboedientia et humili responsione p. 427.

Ad quid omnia exercitia p. 427.

De refugio ad Deum semper habendo p. 428.

De meditatione passionis Christi p. 429.

pag.

De virili confidentia p. 430.
De custodia cellae p. 430.
De contemptu consolationum terrenarum p. 431.

Epilegomena 433

Adnotatio critica 487

Indices:

A. Loci sacrae scripturae 500
B. Loci auctorum ecclesiasticorum 512
C. Loci auctorum profanorum 515

In hoc volumine hi libelli continentur

Qui sequitur me non ambulat in tenebris
Regnum Dei intra vos est dicit Dominus
De sacramento. Venite ad me omnes qui laboratis
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus
De disciplina claustralium Apprehendite disciplinam
Epistula devota ad quendam regularem Ista sunt praecipue necessaria
Renovamini autem spiritu mentis vestrae.
Cognovi Domine quia aequitas iudicia tua
Recommendatio humilitatis. Discite a me
De mortificata vita. Gloriosus apostolus Paulus
De bona pacifica vita. Si vis Deo digne
De elevatione mentis. Vacate et videte cum ceteris
Brevis admonitio. Ab exterioribus etc.

ADMONITIONES
AD SPIRITVALEM VITAM VTILES

[DE IMITATIONE CHRISTI
QVAE VVLGO DICITVR
LIBER PRIMVS]

INCIPIVNT CAPITVLA.

DE imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi I
DE humili sentire sui ipsius II
DE doctrina veritatis III
DE prudentia in agendis IIII
DE lectione sanctarum scripturarum V
DE inordinatis affectionibus VI
DE vana spe et elatione fugienda VII
DE cavenda nimia familiaritate VIII
DE oboedientia et subiectione IX
DE cavenda superfluitate verborum X
DE pace acquirenda et zelo proficiendi XI
DE utilitate adversitatis XII
DE temptationibus resistendis XIII
DE temerario iudicio vitando XIIII
DE operibus ex caritate factis XV
DE sufferentia defectuum aliorum XVI
DE monastica vita XVII
DE exemplis sanctorum patrum XVIII
DE exercitiis boni religiosi XIX
DE amore solitudinis et silentii XX
DE compunctione cordis XXI
DE consideratione humanae miseriae XXII
DE meditatione mortis XXIII
DE iudicio et poenis peccatorum XXIIII
DE ferventi emendatione totius vitae nostrae . . XXV

INCIPIVNT ADMONITIONES AD SPIRITVALEM VITAM VTILES.

DE IMITATIONE CHRISTI ET CONTEMPTV OMNIVM VANITATVM MVNDI.

CAPITVLVM I.

Qui sequitur me non ambulat in tenebris: dicit Dominus. Haec sunt verba Christi quibus admonemur, quatenus vitam eius et mores imitemur: si velimus veraciter illuminari, et ab omni caecitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit: in vita Iesu Christi meditari. Doctrina Christi omnes doctrinas sanctorum praecellit; et qui spiritum haberet: absconditum ibi manna inveniret. Sed contingit quod multi ex frequenti auditu evangelii parvum desiderium sentiunt: quia spiritum Christi non habent. Qui autem vult plene et sapide Christi verba

intellegere: oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare; si careas humilitate unde displiceas Trinitati? Vere alta verba non faciunt sanctum et iustum: sed virtuosa vita efficit Deo carum. Opto magis sentire compunctionem: quam scire eius definitionem. Si scires totam bibliam exterius et omnium philosophorum dicta; quid totum prodesset sine caritate Dei et gratia? Vanitas vanitatum et omnia vanitas: praeter amare Deum et illi soli servire. Ista est summa sapientia: per contemptum mundi tendere ad regna caelestia. Vanitas igitur est divitias perituras quaerere: et in illis sperare. Vanitas quoque est honores ambire: et in altum statum se extollere. Vanitas est carnis desideria sequi: et illud desiderare unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est longam vitam optare: et de bona vita parum curare. Vanitas est praesentem vitam solum attendere: et quae futura sunt non praevidere. Vanitas est diligere quod cum omni celeritate transit: et illic non festinare ubi sempiternum gaudium manet. Memento illius frequenter proverbii; quia non satiatur oculus visu: nec auris impletur auditu. Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere: et ad invisibilia te transferre. Nam se-

quentes suam sensualitatem maculant conscientiam: et perdunt Dei gratiam.

DE HVMILI SENTIRE SVI IPSIVS.

CAPITVLVM II.

OMnis homo naturaliter scire desiderat; sed scientia sine timore Dei quid importat? Melior est profecto humilis rusticus qui Deo servit: quam superbus philosophus qui se neglecto cursum caeli considerat. Qui bene se ipsum cognoscit sibi ipsi vilescit: nec laudibus delectatur humanis. Si scirem omnia quae in mundo sunt, et non essem in caritate; quid me iuvaret coram Deo qui me iudicaturus est ex facto? Quiesce a nimio sciendi desiderio: quia magna ibi invenitur distractio et deceptio. Scientes libenter volunt videri et dici sapientes. Multa sunt: quae scire parum vel nihil animae prosunt. Et valde insipiens est: qui aliquibus intendit, quam his quae saluti suae deserviunt. Multa verba non satiant animam; sed bona vita refrigerat mentem: et pura conscientia, magnam ad Deum praestat confidentiam. Quanto plus et melius scis: tanto gravius inde iudicaberis nisi sanctius vixeris. Noli ergo extolli de ulla arte vel scientia: sed potius time de data tibi notitia. Si tibi videtur

quod multa scis et satis bene intellegis: scito tamen quia sunt multo plura quae nescis. Noli altum sapere: sed ignorantiam tuam magis fatere. Quid te vis alicui praeferre; cum plures doctiores te inveniantur, et magis in lege periti? Si vis utiliter aliquid scire et discere: ama nesciri et pro nihilo reputari. Haec est altissima et utilissima lectio: sui ipsius vera cognitio et despectio. De se ipso nihil tenere, et de aliis semper bene et alte sentire: magna sapientia est et perfectio. Si videres alium aperte peccare, vel aliqua gravia perpetrare; non deberes te tamen meliorem aestimare: quia nescis quam diu possis in bono stare. Omnes fragiles sumus: sed tu neminem fragiliorem te ipso tenebis.

DE DOCTRINA VERITATIS.

CAPITVLVM III.

Felix quem veritas per se docet, non per figuras et voces transeuntes: sed sicuti se habet. Nostra opinio et noster sensus saepe nos fallit: et modicum videt. Quid prodest magna cavillatio de occultis et obscuris rebus; de quibus nec arguemur in iudicio quia ignoravimus? Grandis insipientia quod neglectis utilibus et necessariis: ultro intendimus

curiosis et damnosis. Oculos habentes non videmus; et quid curae nobis de generibus et speciebus? Cui aeternum verbum loquitur: a multis opinionibus expeditur. Ex uno verbo omnia; et unum loquuntur omnia: et hoc est principium, quod et loquitur nobis. Nemo sine illo intellegit, aut recte iudicat. Cui omnia unum sunt, et omnia ad unum trahit, et omnia in uno videt; potest stabilis corde esse: et in Deo pacificus permanere. O veritas Deus: fac me unum tecum in caritate perpetua. Taedet me saepe multa legere et audire: in te est totum quod volo et desidero. Taceant omnes doctores sileant universae creaturae in conspectu tuo: tu mihi loquere solus.

Quanto aliquis magis sibi unitus et interius simplificatus fuerit; tanto plura et altiora sine labore intellegit: quia desuper lumen intellegentiae accipit. Purus simplex et stabilis spiritus in multis operibus non dissipatur; quia omnia ad Dei honorem operatur: et in se otiosus ab omni propria exquisitione esse nititur. Quis te magis impedit et molestat; quam tua immortificata affectio cordis? Bonus et devotus homo opera sua prius intus disponit: quae foris agere debet. Nec illa trahunt eum ad desideria vitiosae inclinationis: sed ipse inflectit ea ad

arbitrium rectae rationis. Quis habet fortius certamen; quam qui nititur vincere se ipsum? Et hoc deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet se ipsum; et cotidie se ipso fortiorem fieri: atque in melius aliquid proficere.

Omnis perfectio in hac vita, quandam imperfectionem sibi habet annexam: et omnis speculatio nostra quadam caligine non caret. Humilis tui cognitio, certior via est ad Deum: quam profunda scientiae inquisitio. Non est culpanda scientia, aut quaelibet simplex rei notitia, quae bona est in se considerata et a Deo ordinata: sed praeferenda est semper bona conscientia et virtuosa vita. Quia vero plures magis student scire quam bene vivere; ideo saepe errant: et paene nullum vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia et virtutes inserendas sicuti ad movendas quaestiones; non fierent tanta mala et scandala in populo: nec tanta dissolutio in coenobiis. Certe adveniente die iudicii non quaeretur a nobis quid legimus sed quid fecimus; nec quam bene diximus: sed quam religiose viximus. Dic mihi ubi sunt modo omnes illi domini et magistri quos bene novisti dum adhuc viverent, et studiis florerent? Iam eorum praebendas alii possident: et nescio utrum

de eis recogitant. In vita sua aliquid esse videbantur: et modo de illis tacetur. O quam cito transit gloria mundi. Vtinam vita eorum scientiae ipsorum concordasset: tunc bene studuissent et legissent. Quam multi pereunt per vanam scientiam in saeculo: qui parum curant de Dei servitio. Et quia magis eligunt magni esse quam humiles: ideo evanescunt in cogitationibus suis. Vere magnus est: qui magnam habet caritatem. Vere magnus est: qui in se parvus est, et pro nihilo omne culmen honoris ducit. Vere prudens est: qui omnia terrena arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat. Et vere bene doctus est: qui Dei voluntatem facit, et suam voluntatem relinquit.

DE PROVIDENTIA IN AGENDIS.

CAPITVLVM IIII.

NOn est credendum omni verbo nec instinctui: sed caute et longanimiter res est secundum Deum ponderanda. Pro dolor saepe malum facilius quam bonum de alio creditur et dicitur: ita infirmi sumus. Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti; quia sciunt infirmitatem humanam ad malum proclivam: et in verbis satis labilem. Magna sapientia,

non esse praecipitem in agendis: nec pertinaciter in propriis stare sensibus. Ad hanc etiam pertinet non quibuslibet hominum verbis credere: nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum sapiente et conscientioso viro consilium habe; et quaere potius a meliore instrui: quam tuas adinventiones sequi. Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum: et expertum in multis. Quanto quis in se humilior fuerit et Deo subiectior: tanto in omnibus erit sapientior et pacatior.

DE LECTIONE SANCTARVM SCRIPTVRARVM.

CAPITVLVM V.

VEritas est in scripturis sanctis quaerenda: non eloquentia. Omnis scriptura sacra eo spiritu debet legi quo facta est. Quaerere potius debemus utilitatem in scripturis: quam subtilitatem sermonis. Ita libenter devotos et simplices libros legere debemus: sicut altos et profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, utrum parvae vel magnae litteraturae fuerit: sed amor purae veritatis te trahat ad legendum. Non quaeras quis hoc dixerit: sed quid dicatur attende. Homines transeunt: sed veritas Domini

manet in aeternum. Sine personarum acceptione, variis modis loquitur nobis Deus. Curiositas nostra saepe nos impedit in lectione scripturarum: cum volumus intellegere et discutere ubi simpliciter esset transeundum. Si vis profectum haurire; lege humiliter, simpliciter et fideliter: nec umquam velis habere nomen scientiae. Interroga libenter; et audi tacens verba sanctorum: nec displiceant tibi parabolae seniorum, sine causa enim non proferuntur.

DE INORDINATIS AFFECTIONIBVS.

CAPITVLVM VI.

QVandocumque homo aliquid inordinate appetit: statim in se inquietus fit. Superbus et avarus numquam quiescunt: pauper et humilis spiritu in multitudine pacis conversantur. Homo qui necdum perfecte in se mortuus est, cito temptatur: et vincitur in parvis et vilibus rebus. Infirmus in spiritu et quodammodo adhuc carnalis et ad sensibilia inclinatus: difficulter se potest a terrenis desideriis ex toto abstrahere. Et ideo saepe habet tristitiam cum se subtrahit: leviter etiam indignatur si quis ei resistit. Si autem prosecutus fuerit quod concupiscit; statim ex reatu conscientiae

gravatur, quia secutus est passionem suam: quae nihil iuvat ad pacem quam quaesivit. Resistendo igitur passionibus invenitur pax vera cordis: non autem eis serviendo. Non est ergo pax in corde hominis carnalis; non in homine exterioribus dedito: sed in fervido et spirituali.

DE VANA SPE ET ELATIONE FVGIENDA.

CAPITVLVM VII.

VAnus est: qui spem suam ponit in hominibus aut in creaturis. Non te pudeat aliis servire amore Iesu Christi: et pauperem in hoc saeculo videri. Non stes super te ipsum: sed in Deo spem tuam constitue. Fac quod in te est: et Deus aderit bonae voluntati tuae. Non confidas in tua scientia, vel astutia cuiuscumque viventis; sed magis in Dei gratia: qui adiuvat humiles et de se praesumentes humiliat. Ne glorieris in divitiis si assunt; nec in amicis quia potentes sunt: sed in Deo qui omnia praestat, et se ipsum super omnia dare desiderat. Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis: quae modica infirmitate corrumpitur et defoedatur. Non placeas tibi ipsi de habilitate aut ingenio tuo;

ne displiceas Deo: cuius est totum quidquid boni naturaliter habueris. Non te reputes aliis meliorem; ne forte coram Deo deterior habearis: qui scit quid est in homine. Non superbias de operibus bonis; quia aliter sunt iudicia Dei quam hominum: cui saepe displicet quod hominibus placet. Si aliquid boni habueris; crede de aliis meliora: ut humilitatem conserves. Non nocet si omnibus te supponas: nocet autem plurimum, si vel uni te praeponas. Iugis pax cum humili: in corde autem superbi zelus et indignatio frequens.

DE CAVENDA NIMIA FAMILIARITATE.

CAPITVLVM VIII.

NOn omni homini reveles cor tuum: sed cum sapiente et timente Deum age causam tuam. Cum iuvenibus et extraneis rarus esto. Cum divitibus noli blandire: et coram magnatis non libenter appareas. Cum humilibus et simplicibus, cum devotis et morigeratis sociare: et quae aedificationis sunt pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri: sed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo et angelis eius opta familiaris esse: et hominum notitiam devita. Caritas habenda est ad omnes: sed

familiaritas non expedit. Quandoque accidit, ut persona ignota ex bona fama lucescat: cuius tamen praesentia oculos intuentium offuscat. Putamus aliquando aliis placere ex coniunctione nostra: et incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis considerata.

DE OBOEDIENTIA ET SVBIECTIONE.

CAPITVLVM IX.

VAlde magnum est in oboedientia stare; sub praelato vivere: et sui iuris non esse. Multo tutius est stare in subiectione: quam in praelatura. Multi sunt sub oboedientia magis ex necessitate quam ex caritate; et illi poenam habent: et leviter murmurant. Nec libertatem mentis acquirent: nisi ex toto corde propter Deum se subiciant. Curre hic vel ibi: non invenies quietem nisi in humili subiectione, sub regimine praelati. Imaginatio locorum et mutatio, multos fefellit. Verum est quod unusquisque libenter agit pro sensu suo: et inclinatur ad eos magis qui secum sentiunt. Sed si Deus est inter nos: necesse est ut relinquamus etiam quandoque nostrum sentire propter bonum pacis. Quis est ita sapiens; qui omnia plene scire potest? Ergo noli nimis in sensu tuo confidere:

sed velis etiam libenter aliorum sensum audire. Si bonum est tuum sentire; et hoc ipsum propter Deum dimittis et alium sequeris: magis exinde proficies. Audivi enim saepe: securius esse audire, et accipere consilium quam dare. Potest etiam contingere, ut bonum sit uniuscuiusque sentire; sed nolle aliis acquiescere, cum id ratio aut causa postulat: signum est superbiae et pertinaciae.

DE CAVENDA SVPERFLVITATE VERBORVM.

CAPITVLVM X.

CAveas tumultum hominum quantum potes; multum enim impedit tractatus saecularium gestorum: etiam si simplici intentione proferantur. Cito enim inquinamur vanitate et captivamur. Vellem me pluries tacuisse: et inter homines non fuisse. Sed quare tam libenter loquimur et invicem fabulamur; cum tamen raro sine laesione conscientiae ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur; quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quaerimus: et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multum libenter de his quae multum diligimus vel cupimus, vel quae nobis contraria sentimus: libet loqui et cogitare.

Sed pro dolor, saepe inaniter et frustra. Nam haec exterior consolatio: interioris et divinae consolationis non modicum detrimentum est. Ideo vigilandum est et orandum: ne tempus otiose transeat. Si loqui licet et expedit: quae aedificabilia sunt loquere. Malus usus et neglegentia profectus nostri: multum facit ad incustodiam oris nostri. Iuvat tamen non parum ad profectum spiritualem, devota spiritualium rerum collatio: maxime ubi pares animo et spiritu in Deo sibi sociantur.

DE PACE ACQVIRENDA ET ZELO PROFICIENDI.

CAPITVLVM XI.

MVltam possemus pacem habere: si non vellemus nos cum aliorum dictis et factis et quae ad nostram curam non spectant occupare. Quomodo potest ille diu in pace manere; qui alienis curis se intermiscet, qui occasiones forinsecus quaerit, qui parum vel raro se intrinsecus colligit? Beati simplices: quoniam multam pacem habebunt. Quare quidam sanctorum tam perfecti et contemplativi fuerunt? Quia omnino se ipsos mortificare ab omnibus terrenis desideriis studuerunt: et ideo totis medullis cordis

Deo inhaerere, atque libere sibi vacare potuerunt. Nos nimium occupamur propriis passionibus: et de transitoriis nimis sollicitamur. Raro etiam unum vitium perfecte vincimus; et ad cotidianum profectum non accendimur: ideo frigidi et tepidi remanemus. Si essemus nobis ipsis perfecte mortui, et interius minime implicati; tunc possemus etiam divina sapere: et de caelesti contemplatione aliquid experiri. Totum et maximum impedimentum est, quia non sumus a passionibus et concupiscentiis liberi: nec perfectam sanctorum viam conamur ingredi. Quando etiam modicum adversitatis occurrit, nimis cito deicimur: et ad humanas consolationes convertimur. Si niteremur sicut viri fortes stare in proelio: profecto auxilium Domini super nos videremus de caelo. Ipse enim certantes et de sua gratia sperantes paratus est adiuvare: qui nobis certandi occasiones procurat ut vincamus. Si tantum in istis exterioribus observantiis profectum religionis ponimus: cito finem habebit devotio nostra. Sed ad radicem securim ponamus: ut purgati a passionibus pacificam mentem possideamus. Si omni anno unum vitium extirparemus: cito viri perfecti efficeremur. Sed modo e contrario saepe sentimus; ut meliores et

puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus: quam post multos annos professionis. Fervor et profectus cotidie deberet crescere; sed nunc pro magno videtur: si quis primi fervoris partem posset retinere. Si modicam violentiam faceremus in principio: tunc postea cuncta possemus facere cum levitate et gaudio. Grave est assueta dimittere: sed gravius est contra propriam voluntatem ire. Sed si non vincis parva et levia; quando superabis difficiliora? Resiste in principio inclinationi tuae; et malam dedisce consuetudinem: ne forte paulatim ad maiorem te ducat difficultatem. O si adverteres quantam tibi pacem et aliis laetitiam faceres te ipsum bene habendo: puto quod sollicitior esses ad spiritualem profectum.

DE VTILITATE ADVERSITATIS.

CAPITVLVM XII.

BOnum nobis est quod aliquando habeamus aliquas gravitates et contrarietates: quia saepe hominem ad cor revocant; quatinus se in exilio esse cognoscat: nec spem suam in aliqua re mundi ponat. Bonum est quod patiamur quandoque contradictiones et quod male et imperfecte de nobis sentiatur: etiam si

bene agimus et intendimus. Ista saepe iuvant ad humilitatem: et a vana gloria nos defendunt. Tunc enim melius interiorem testem Deum quaerimus; quando foris vilipendimur ab hominibus: et non bene nobis creditur. Ideo deberet se homo in Deo taliter firmare: ut non esset ei necesse multas humanas consolationes quaerere. Quando homo bonae voluntatis tribulatur vel temptatur, aut malis cogitationibus affligitur; tunc Deum sibi magis necessarium intellegit: sine quo nihil boni se posse deprehendit. Tunc etiam tristatur gemit et orat, pro miseriis quas patitur. Tunc taedet eum diutius vivere; et mortem optat venire: ut possit dissolvi et cum Christo esse. Tunc etiam bene advertit: perfectam securitatem et plenam pacem in mundo non posse constare.

DE TEMPTATIONIBVS RESISTENDIS.

CAPITVLVM XIII.

QVamdiu in mundo vivimus: sine tribulatione et temptatione esse non possumus. Vnde in Iob scriptum est. Temptatio est vita humana super terram. Ideo unusquisque sollicitus esse deberet circa temptationes suas et vigilare in orationibus; ne diabolus locum inveniret

decipiendi: qui numquam dormitat, sed circuit quaerens quem devoret. Nemo tam perfectus est et sanctus, qui non habeat aliquando temptationes: et plene eis carere non possumus. Sunt tamen temptationes homini saepe valde utiles; licet molestae sint et graves: quia in illis homo humiliatur, purgatur et eruditur. Omnes sancti per multas tribulationes et temptationes transierunt et profecerunt. Et qui temptationes sustinere nequiverunt: reprobi facti sunt et defecerunt. Non est aliquis ordo tam sanctus nec locus tam secretus: ubi non sint temptationes vel adversitates. Non est homo securus a temptationibus totaliter quamdiu vixerit; quia in nobis est unde temptamur: ex quo in concupiscentia nati sumus. Vna temptatione seu tribulatione recedente alia supervenit; et semper aliquid ad patiendum habebimus: nam bonum felicitatis nostrae perdidimus. Multi quaerunt temptationes fugere: et gravius incidunt in eas. Per solam fugam non possumus vincere: sed per patientiam et veram humilitatem omnibus hostibus efficimur fortiores. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem evellit: parum proficiet. Immo citius ad eum temptationes redient: et peius sentiet. Paulatim, et per patientiam cum longanimitate Deo

iuvante melius superabis: quam cum duritia et importunitate propria. Saepius accipe consilium in temptatione; et cum temptato noli duriter agere: sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri. Initium omnium malarum temptationum inconstantia animi, et parva ad Deum confidentia; quia sicut navis sine gubernaculo hinc inde a fluctibus impellitur: ita homo remissus et suum propositum deserens varie temptatur. Ignis probat ferrum: et temptatio hominem iustum. Nescimus saepe quid possumus: sed temptatio aperit quid sumus. Vigilandum est tamen praecipue circa initium temptationis; quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur: sed extra limen statim ut pulsaverit illi obviatur. Vnde quidam dixit. Principiis obsta: sero medicina paratur. Nam primo occurrit menti simplex cogitatio; deinde fortis imaginatio: postea delectatio et motus pravus et assensio. Sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto: dum illi non resistitur in principio. Et quanto diutius ad resistendum quis torpuerit; tanto in se cotidie debilior fit: et hostis contra eum potentior. Quidam in principio conversionis suae graviores temptationes patiuntur: quidam autem in fine. Quidam vero quasi per totam vitam suam

male habent; nonnulli satis leniter temptantur: secundum divinae ordinationis sapientiam et aequitatem; quae statum et merita hominum pensat: et cuncta ad electorum suorum salutem praeordinat. Ideo non debemus desperare cum temptamur; sed eo ferventius Deum exorare: quatinus nos in omni tribulatione dignetur adiuvare; qui utique secundum dictum Pauli, talem faciet cum temptatione proventum: ut possimus sustinere. Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei in omni temptatione et tribulatione: quia humiles spiritu salvabit et exaltabit. In temptationibus et tribulationibus probatur homo quantum profecit; et ibi maius meritum consistit: et virtus melius patescit. Nec magnum est si homo devotus sit et fervidus cum gravitatem non sentit; sed si tempore adversitatis patienter se sustinet: spes magni profectus erit. Quidam a magnis temptationibus custodiuntur, et in parvis cotidianis saepe vincuntur; ut humiliati, numquam de se ipsis in magnis confidant: qui in tam modicis infirmantur.

DE TEMERARIO IVDICIO VITANDO.

CAPITVLVM XIIII.

AD te ipsum oculos reflecte: et aliorum facta caveas iudicare. In iudicando alios homo frustra laborat; saepius errat, et leviter peccat: se ipsum vero iudicando et discutiendo semper fructuose laborat. Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter iudicamus: nam verum iudicium propter privatum amorem faciliter perdimus. Si Deus semper esset pura intentio nostri desiderii: non tam faciliter turbaremur pro resistentia sensus nostri. Sed saepe aliquid ab intra latet, vel etiam ab extra concurrit: quod nos etiam pariter trahit. Multi occulte se ipsos quaerunt in rebus quas agunt: et nesciunt. Videntur etiam in bona pace stare: quando res pro eorum velle fiunt et sentire. Si autem aliter fit quam cupiunt: cito moventur et tristes fiunt. Propter diversitatem sensuum et opinionum satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos et cives: inter religiosos et devotos. Antiqua consuetudo difficulter relinquitur: et ultra proprium videre nemo libenter ducitur. Si rationi tuae magis inniteris vel industriae, quam virtuti subiectivae Iesu Christi; raro et tarde eris homo illumi-

natus: quia Deus vult nos sibi perfecte subici, et omnem rationem per inflammatum amorem transcendere.

DE OPERIBVS EX CARITATE FACTIS.

CAPITVLVM XV.

PRo nulla re mundi, et pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum; sed pro utilitate tamen indigentis, opus bonum libere aliquando intermittendum est: aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim facto opus bonum non destruitur: sed in melius commutatur. Sine caritate opus externum nihil prodest; quidquid autem ex caritate agitur quantumcumque etiam parvum sit et despectum: totum fructuosum efficitur. Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit: quam opus quod facit. Multum facit: qui multum diligit. Multum facit: qui rem bene facit. Bene facit: qui communitati magis quam suae voluntati servit. Saepe videtur esse caritas, et est magis carnalitas: quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis, raro abesse volunt. Qui veram et perfectam caritatem habet in nulla re se ipsum quaerit: sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat. Nulli etiam invidet, quia nullum

privatum gaudium amat; nec in se ipso vult gaudere: sed in Deo super omnia bona optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit; sed totaliter ad Deum refert, a quo fontaliter omnia procedunt: in quo finaliter omnes sancti fruibiliter requiescunt. O qui scintillam haberet verae caritatis: profecto omnia terrena sentiret plena fore vanitatis.

DE SVFFERENTIA DEFECTVVM ALIORVM.

CAPITVLVM XVI.

Vae homo in se vel in aliis emendare non valet: debet patienter sustinere, donec Deus aliter ordinet. Cogita quia sic forte melius est pro tua probatione et patientia: sine qua non sunt multum ponderanda merita nostra. Debes tamen pro talibus impedimentis supplicare: ut Deus tibi dignetur subvenire, et possis benigne portare. Si quis semel aut bis admonitus non acquiescit: noli cum eo contendere, sed totum Deo committe; ut fiat voluntas eius et honor in omnibus servis suis: qui scit bene mala in bonum convertere. Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus et qualescumque infirmitates: quia et tu multa habes quae ab aliis

oportet tolerari. Si non potes te talem facere qualem vis, quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum? Libenter habemus alios perfectos: et tamen proprios non emendamus defectus. Volumus quod alii stricte corrigantur: et ipsi corrigi nolumus. Displicet larga aliorum licentia: et tamen nobis nolumus negari quod petimus. Alios restringi per statuta volumus: et ipsi nullatenus patimur amplius cohiberi. Sic ergo patet: quam raro proximum sicut nos ipsos pensamus. Si essent omnes perfecti; quid tunc haberemus ab aliis pro Deo pati? Nunc autem Deus sic ordinavit, ut discamus alter alterius onera portare; quia nemo sine defectu, nemo sine onere: nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens; sed oportet nos invicem portare, invicem consolari: pariter adiuvare, instruere et admonere. Quantae autem virtutis quisque fuerit, melius patet occasione adversitatis. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt: sed qualis sit, ostendunt.

DE MONASTICA VITA.

CAPITVLVM XVII.

Portet quod discas te ipsum in multis frangere: si vis pacem et concordiam cum aliis tenere. Non est

parvum in monasteriis vel in congregatione habitare, et inibi sine querela conversari: et usque ad mortem fidelis perseverare. Beatus qui ibidem bene vixerit: et feliciter consummaverit. Si vis debite stare et proficere: teneas te tamquam exulem peregrinum super terram. Oportet te stultum fieri propter Christum: si vis religiosam ducere vitam. Habitus et tonsura modicum confert: sed mutatio morum et integra mortificatio passionum verum faciunt religiosum. Qui aliud quaerit quam pure Deum, et animae suae salutem: non inveniet nisi tribulationem et dolorem. Non potest etiam diu stare pacificus: qui non nititur esse minimus, et omnibus subiectus. Ad serviendum venisti: non ad regendum. Ad patiendum et laborandum scias te vocatum: non ad otiandum vel fabulandum. Hic ergo probantur homines: sicut aurum in fornace. Hic nemo potest stare: nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

DE EXEMPLIS SANCTORVM PATRVM.

CAPITVLVM XVIII.

INtuere sanctorum patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit et religio: et videbis quam modicum

sit, et paene nihil quod nos agimus. Heu quid est vita nostra; si illis fuerit comparata? Sancti et amici Christi, Domino servierunt in fame et siti, in frigore et nuditate; in labore et fatigatione, in vigiliis et ieiuniis, in orationibus et meditationibus sanctis: in persecutionibus et obprobriis multis. O quam multas et graves tribulationes passi sunt, apostoli, martyres, confessores virgines: et reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi. Nam animas suas in hoc mundo oderunt: ut in aeternam vitam eas possiderent. O quam strictam et abdicatam vitam sancti patres in eremo duxerunt: quam longas et graves temptationes pertulerunt; quam frequenter ab inimico vexati sunt, quam crebras et fervidas orationes Deo optulerunt: quam rigidas abstinentias peregerunt. Quam magnum zelum et fervorem ad spiritualem profectum habuerunt; quam forte bellum adversus edomationem vitiorum gesserunt: quam puram et rectam intentionem ad Deum tenuerunt. Per diem laborabant, et noctibus orationi diutinae vacabant: quamquam laborando ab oratione mentali minime cessarent. Omne tempus utiliter expendebant; omnis hora ad vacandum Deo brevis videbatur: et prae magna dulcedine contemplationis, etiam oblivioni

tradebatur necessitas corporalis refectionis. Omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus amicis et cognatis renuntiabant: nil de mundo habere cupiebant; vix necessaria vitae sumebant: corpori servire etiam in necessitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis: sed divites valde in gratia et virtutibus. Foris egebant: sed intus gratia et consolatione divina reficiebantur. Mundo erant alieni: sed Deo proximi ac familiares amici. Sibi ipsis videbantur tamquam nihili, et huic mundo despecti: sed erant in oculis Dei pretiosi et dilecti. In vera humilitate stabant: in simplici oboedientia vivebant. In caritate et patientia ambulabant; et ideo cotidie in spiritu proficiebant: et magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati sunt in exemplum omnibus religiosis; et plus provocare nos debent ad bene proficiendum: quam tepidorum numerus ad relaxandum.

O quantus fervor omnium religiosorum, in principio suae sanctae institutionis fuit. O quanta devotio orationis, quanta aemulatio virtutis; quam magna disciplina viguit: quanta reverentia et oboedientia sub regula magistri in omnibus effloruit. Testantur adhuc vestigia derelicta, quod vere viri sancti et perfecti fuerunt: qui tam strenue militantes mundum suppeditaverunt. Iam

magnus putatur, si quis transgressor non fuerit: si quis quod accepit cum patientia tolerare potuerit. Oh teporis et neglegentiae status nostri; quod tam cito declinamus a pristino fervore: et iam taedet vivere prae lassitudine et tepore. Vtinam in te penitus non dormitet profectus virtutum: qui multa saepius exempla vidisti devotorum.

DE EXERCITIIS BONI RELIGIOSI.

CAPITVLVM XIX.

Multa boni religiosi omnibus virtutibus pollere debet: ut sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. Et merito multo plus debet esse intus quam quod cernitur foris: quia inspector noster est Deus; quem summopere revereri debemus ubicumque fuerimus: et tamquam angeli in conspectu eius mundi incedere. Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare: quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere. Adiuva me Domine Deus in bono proposito et sancto servitio tuo; et da mihi nunc hodie perfecte incipere: quia nihil est quod hactenus feci. Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri: et multa diligentia opus est bene proficere

volenti. Quod si fortiter proponens saepe deficit; quid ille qui raro, aut minus fixe aliquid proponit? Variis tamen modis contingit desertio propositi nostri: et levis omissio exercitiorum vix sine aliquo dispendio transit. Iustorum propositum in gratia Dei potius quam in propria sapientia pendet: in quo et semper confidunt, quidquid arripiunt. Nam homo proponit, sed Deus disponit: nec est in homine via eius. Si pietatis causa aut fraternae utilitatis proposito, quandoque consuetum omittitur exercitium: facile postea poterit recuperari. Si autem taedio animi aut neglegentia faciliter relinquitur: satis culpabile est, et nocivum sentietur. Conemur quantum possumus: adhuc leviter deficiemus in multis. Semper tamen aliquid certi proponendum est: et contra illa praecipue quae amplius nos impediunt. Exteriora nostra et interiora pariter nobis scrutanda sunt et ordinanda: quia utraque expediunt ad profectum. Si non continue te vales colligere; saltem interdum et ad minus semel in die: mane videlicet aut vespere. Mane propone, vespere discute mores tuos, qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione: quia in his saepius forsitan Deum offendisti et proximum. Accinge te sicut vir contra diabolicas nequitias:

frena gulam, et omnem carnis inclinationem facilius frenabis. Numquam sis ex toto otiosus: sed aut legens aut scribens, aut orans aut meditans aut aliquid utilitatis pro communi laborans. Corporalia tamen exercitia discrete sunt agenda: nec omnibus aequaliter assumenda. Quae communia non sunt, non sunt foris ostendenda: nam in secreto tutius exercentur privata. Cavendum tamen ne piger sis ad communia, et ad singularia promptior; sed expletis integre et fideliter debitis et iniunctis: si iam ultra vacat redde te tibi, prout devotio tua desiderat. Non possunt omnes habere unum exercitium: sed aliud isti aliud illi magis deservit. Etiam pro temporis congruentia diversa placent exercitia: quia alia in festis, alia in feriatis magis sapiunt diebus. Aliis indigemus tempore temptationis: et aliis tempore pacis et quietis. Alia cum tristamur libet cogitare: et alia cum laeti in Domino fuerimus. Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia: et sanctorum suffragia ferventius imploranda. De festo in festum proponere debemus quasi tunc de hoc saeculo migraturi: et ad aeternum festum perventuri. Ideoque sollicite nos praeparare debemus in devotis temporibus, et devotius conversari; atque omnem observantiam strictius custo-

dire, tamquam in brevi praemium laboris nostri a Deo percepturi. Et si dilatum fuerit; credamus nos minus bene praeparatos atque indignos tantae adhuc gloriae quae revelabitur in nobis tempore praefinito: et studeamus nos melius ad exitum praeparare. Beatus servus ait evangelista Lucas: quem cum venerit dominus invenerit vigilantem. Amen dico vobis: super omnia bona sua constituet eum.

DE AMORE SOLITVDINIS ET SILENTII.

CAPITVLVM XX.

QVaere aptum tempus vacandi tibi: et de beneficiis Dei frequenter cogita. Relinque curiosa; tales perlege materias: quae compunctionem magis praestant: quam occupationem. Si te subtraxeris a superfluis locutionibus, et otiosis circuitionibus, nec non a novitatibus et rumoribus audiendis: invenies tempus sufficiens et aptum pro bonis meditationibus insistendis. Maximi sanctorum humana consortia ubi poterant vitabant: et Deo in secreto servire eligebant. Dixit quidam. Quotiens inter homines fui: minor homo redii. Hoc saepius experimur: quando diu confabulamur. Facilius est omnino tacere: quam verbo

non excedere. Facilius est domi latere: quam foris se posse sufficienter custodire. Qui igitur intendit ad interiora et spiritualia pervenire: oportet eum cum Iesu a turba declinare. Nemo secure apparet: nisi qui libenter latet. Nemo secure loquitur: nisi qui libenter tacet. Nemo secure praeest: nisi qui libenter subest. Nemo secure praecipit: nisi qui bene oboedire didicit. Nemo secure gaudet: nisi bonae conscientiae in se testimonium habeat. Semper tamen sanctorum securitas plena timoris Dei extitit; nec eo minus solliciti et humiles in se fuerunt: quia magnis virtutibus et gratia emicuerunt. Pravorum autem securitas ex superbia et praesumptione oritur: et in fine in deceptionem sui ipsius vertitur. Numquam promittas tibi securitatem in hac vita: quamvis bonus videaris coenobita, aut devotus eremita. Saepe meliores in aestimatione hominum: gravius periclitati sunt propter suam nimiam confidentiam. Vnde multis utilius est, ut non penitus temptationibus careant, sed saepius impugnentur; ne nimium securi sint, ne forte in superbiam eleventur: ne etiam ad exteriores consolationes licentius declinent. O qui numquam transitoriam laetitiam quaereret; qui numquam cum mundo se occuparet: quam bonam con-

scientiam servaret. O qui omnem vanam sollicitudinem amputaret, et dumtaxat salutaria ac divina cogitaret, et totam spem suam in Deo constitueret: quam magnam pacem et quietem possideret. Nemo dignus est caelesti consolatione: nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione. Si vis cordetenus compungi; intra cubile tuum et exclude tumultus mundi: sicut scriptum est. In cubilibus vestris compungimini. In cella invenies: quod deforis saepius amittes. Cella continuata dulcescit: et male custodita taedium generat. Si in principio conversionis tuae bene eam incolueris et custodieris: erit tibi postea dilecta amica et gratissimum solacium. In silentio et quiete proficit anima devota et discit abscondita scripturarum: ibi invenit fluenta lacrimarum, quibus singulis noctibus se lavet et mundet; ut conditori suo tanto familiarior fiat: quanto longius ab omni saeculari tumultu degit. Qui ergo se abstrahit a notis et amicis: approximabit illi Deus cum angelis sanctis. Melius est latere, et sui curam agere: quam se neglecto signa facere. Laudabile est homini religioso, raro foras ire, fugere videri: nolle etiam homines videre. Quid vis videre; quod non licet habere? Transit mundus et concupiscentia eius. Trahunt

desideria sensualitatis ad spatiandum; sed cum hora transierit quid nisi gravitatem conscientiae et cordis dispersionem reportas? Laetus exitus tristem saepe reditum parit: et laeta vigilia serotina triste mane facit. Sic omne carnale gaudium blande intrat: sed in fine mordet et perimit. Quid potes alibi videre, quod hic non vides? Ecce caelum et terra et omnia elementa: nam ex istis omnia sunt facta. Quid potes alicubi videre; quod diu potest sub sole permanere? Credis te forsitan satiari: sed non poteris pertingere. Si cuncta videres praesentia; quid esset nisi visio vana? Leva oculos tuos ad Deum in excelsis: et ora pro peccatis tuis et neglegentiis. Dimitte vana vanis: tu autem intende illis quae tibi praecepit Deus. Claude super te ostium tuum: et voca ad te Iesum dilectum tuum. Mane cum eo in cella: quia non invenies alibi tantam pacem. Si non exisses nec quicquam de rumoribus audisses: melius in bona pace permansisses. Ex quo nova delectat aliquando audire: oportet te exinde turbationem cordis tolerare.

DE COMPVNCTIONE CORDIS.

CAPITVLVM XXI.

SI vis aliquid proficere, conserva te in timore Dei; et noli esse nimis liber, sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos: nec ineptae te tradas laetitiae. Da te ad cordis compunctionem: et invenies devotionem. Compunctio multa bona aperit: quae dissolutio cito perdere consuevit. Mirum est, quod homo potest umquam perfecte in hac vita laetari: qui suum exilium, et tam multa pericula animae suae considerat et pensat. Propter levitatem cordis et neglegentiam defectuum nostrorum non sentimus animae nostrae dolores; sed saepe vane ridemus: quando merito flere deberemus. Non est vera libertas, nec bona laetitia: nisi in timore Dei cum bona conscientia. Felix qui abicere potest omne impedimentum distractionis: et ad unionem se recolligere sanctae compunctionis. Felix qui a se abdicat: quidquid conscientiam suam maculare potest vel gravare. Certa viriliter: consuetudo consuetudine vincitur. Si tu scis homines dimittere: ipsi bene te dimittent tua facta facere. Non attrahas tibi res aliorum: nec te implices causis maiorum. Habeas semper oculum super

te primum: et admoneas te ipsum specialiter prae omnibus tibi dilectis. Si non habes favorem hominum noli ex hoc tristari; sed hoc sit tibi grave, quia non habes te satis bene et circumspecte: sicut deceret Dei servum et devotum religiosum conversari. Vtilius est saepe et securius quod homo non habeat multas consolationes in hac vita: secundum carnem praecipue. Tamen quod divinas non habemus aut rarius sentimus, nos in culpa sumus; quia compunctionem cordis non quaerimus: nec vanas et externas omnino abicimus. Cognosce te indignum divina consolatione: sed magis dignum multa tribulatione. Quando homo est perfecte compunctus: tunc gravis et amarus est ei totus mundus. Bonus homo sufficientem invenit materiam dolendi et flendi. Sive enim se considerat sive de proximo pensat: scit quia nemo sine tribulatione hic vivit. Et quanto strictius sese considerat: tanto amplius dolet. Materiae iusti doloris et internae compunctionis sunt peccata et vitia nostra; quibus ita involuti iacemus: ut raro caelestia contemplari valeamus. Si frequentius de morte tua, quam de longitudine vitae cogitares: non dubium quin ferventius te emendares. Si etiam futuras inferni sive purgatorii poenas cordialiter

perpenderes; credo quod libenter laborem et dolorem sustineres: et nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor ista non transeunt, et blandimenta adhuc amamus: ideo frigidi et valde pigri remanemus. Saepe est inopia spiritus: unde tam leviter conqueritur miserum corpus. Ora igitur humiliter ad Dominum, ut det tibi compunctionis spiritum: et dic cum propheta. Ciba me Domine pane lacrimarum: et potum da mihi in lacrimis in mensura.

DE CONSIDERATIONE HVMANAE MISERIAE.

CAPITVLVM XXII.

MIser es ubicumque fueris et quocumque te verteris: nisi ad Deum te convertas. Quid turbaris; quia non succedit tibi sicut vis et desideras? Quis est qui habet omnia secundum suam voluntatem? Nec ego nec tu: nec aliquis hominum super terram. Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione vel angustia: quamvis rex sit vel papa. Quis est qui melius habet? Vtique qui pro Deo aliquid pati valet. Dicunt multi imbecilles et infirmi: ecce quam bonam vitam ille homo habet: quam dives quam magnus quam potens et excelsus. Sed attende ad caelestia bona; et videbis quod

omnia ista temporalia nulla sunt, sed valde incerta et magis gravantia: quia numquam sine sollicitudine et timore possidentur. Non est hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam: sed sufficit ei mediocritas. Vere miseria est vivere super terram. Quanto homo voluerit esse spiritualior, tanto praesens vita fit ei amarior: quia sentit melius et videt clarius humanae corruptionis defectus. Nam comedere bibere vigilare dormire, quiescere laborare, et ceteris necessitatibus naturae subiacere, vere magna miseria est et afflictio homini devoto: qui libenter esset absolutus et liber ab omni peccato. Valde enim gravatur interior homo necessitatibus corporalibus in hoc mundo. Vnde propheta devote rogat: quatinus liber ab istis esse valeat dicens. De necessitatibus meis erue me Domine. Sed vae non cognoscentibus suam miseriam: et amplius vae illis qui diligunt hanc miseram et corruptibilem vitam. Nam in tantum quidam hanc amplectuntur, licet etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant: ut si possent hic semper vivere, de regno Dei nihil curarent. O insani et infideles corde; qui tam profunde in terrenis iacent: ut nihil nisi carnalia sapiant. Sed miseri adhuc in fine graviter sentient: quam vile et nihilum erat quod

amaverunt. Sancti autem Dei ex omnes devoti amici Christi, non attenderunt quae carni placuerunt; nec quae in hoc tempore floruerunt: sed tota spes eorum et intentio ad aeterna bona anhelabat. Ferebatur totum desiderium eorum sursum ad mansura et invisibilia: ne amore visibilium traherentur ad infima. Noli frater amittere confidentiam proficiendi ad spiritualia: adhuc habes tempus et horam. Quare vis procrastinare propositum tuum? Surge et in instanti incipe: et dic. Nunc tempus est faciendi; nunc tempus est pugnandi: nunc aptum tempus est emendandi. Quando male habes et tribularis: tunc tempus est promerendi. Oportet te transire per ignem et aquam: antequam venias in refrigerium. Nisi tibi vim feceris: vitium non superabis. Quamdiu istud fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus: nec sine taedio et dolore vivere. Libenter haberemus ab omni miseria quietem; sed quia per peccatum perdidimus innocentiam: amisimus etiam veram beatitudinem. Ideo oportet nos tenere patientiam; et Dei expectare misericordiam: donec transeat iniquitas haec, et mortalitas absorbeatur a vita.

O quanta fragilitas humana: quae semper prona est ad vitia. Hodie confiteris

peccata tua: et cras iterum perpetras confessa. Nunc proponis cavere: et post horam agis, quasi nihil proposuisses. Merito ergo nos ipsos humiliare possumus; nec umquam aliquid magni de nobis sentire: quia tam fragiles et instabiles sumus. Cito etiam potest perdi per neglegentiam: quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam. Quid fiet de nobis adhuc in fine; qui tepescimus tam mane? Vae nobis si sic volumus declinare ad quietem, quasi iam pax sit et securitas: cum necdum appareat vestigium verae sanctitatis in conversatione nostra. Bene opus esset quod adhuc iterum instrueremur tamquam boni novicii ad mores optimos: si forte spes esset de aliqua futura emendatione, et maiori spirituali profectu.

DE MEDITATIONE MORTIS.

CAPITVLVM XXIII.

Valde cito erit tecum hic factum: vide aliter quomodo te habeas. Hodie homo est: et cras non comparet. Cum autem sublatus fuerit ab oculis: etiam cito transit a mente. O hebetudo et duritia cordis humani: quod solum praesentia meditatur, et futura non magis praevidet. Sic te in omni facto et cogi-

tatu deberes tenere: quasi hodie esses moriturus. Si bonam conscientiam haberes: non multum mortem timeres. Melius esset peccata cavere: quam mortem fugere. Si hodie non es paratus; quomodo cras eris? Cras est dies incerta; et quid scis si crastinum habebis? Quid prodest diu vivere; quando tam parum emendamur? Ah longa vita non semper emendat: sed saepe culpam magis auget. Vtinam per unam diem bene essemus conversati in hoc mundo. Multi annos computant conversionis: sed saepe parvus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori: forsitan periculosius erit diutius vivere. Beatus qui horam mortis suae semper ante oculos habet: et ad moriendum cotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori: cogita quia et tu per eandem viam transibis. Cum mane fuerit: puta te ad vesperum non perventurum. Vespere autem facto: mane non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto: et taliter vive, ut numquam te imparatum mors inveniat. Multi subito et improvise moriuntur: nam hora qua non putatur, Filius hominis venturus est. Quando illa extrema hora venerit; multum aliter sentire incipies de tota vita tua praeterita: et valde dolebis quia tam neglegens et remissus fuisti. Quam felix

et prudens, qui talis nunc nititur esse in vita: qualis optat inveniri in morte. Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi; fervens desiderium in virtutibus proficiendi: amor disciplinae labor paenitentiae; promptitudo oboedientiae, abnegatio sui: et supportatio cuiuslibet adversitatis pro amore Christi. Multa bona potes operari dum sanus es: sed infirmatus nescio quid poteris. Pauci ex infirmitate meliorantur: sic et qui multum peregrinantur, raro sanctificantur. Noli confidere super amicos et proximos; nec in futurum tuam differas salutem: quia citius obliviscentur tui homines quam aestimas. Melius est nunc tempestive providere, et aliquid boni praemittere: quam super aliorum auxilio sperare. Si non es pro te ipso sollicitus modo: quis erit sollicitus pro te in futuro? Nunc tempus est valde pretiosum: nunc sunt dies salutis: nunc tempus acceptabile. Sed pro dolor quod hoc utilius non expendis: in quo promereri vales unde aeternaliter vivas. Veniet, quando unum diem seu horam pro emendatione desiderabis: et nescio an impetrabis. Eia carissime, de quanto periculo te poteris liberare, de quam magno timore eripere: si modo semper timoratus fueris et suspectus de morte.

Stude nunc taliter vivere: ut in hora mortis valeas potius gaudere quam timere. Disce nunc mori mundo: ut tunc incipias vivere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere: ut tunc possis libere ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per paenitentiam: ut tunc certam valeas habere confidentiam. Ah stulte quid cogitas te diu victurum; cum nullum diem habeas securum? Quam multi decepti sunt: et insperate de corpore extracti. Quotiens audisti a dicentibus, quia ille gladio cecidit; ille submersus est: ille ab alto ruens cervicem fregit: ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit: alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit; et sic omnium finis mors est: et vita hominum tamquam umbra subito pertransit. Quis memorabitur tui post mortem; et quis orabit pro te? Age age nunc carissime quidquid agere potes; quia nescis quando morieris: nescis etiam quid tibi post mortem sequetur. Dum tempus habes: congrega divitias immortales. Praeter salutem tuam nihil cogites: solum quae Dei sunt cures. Fac nunc tibi amicos venerando Dei sanctos, et eorum actus imitando; ut cum defeceris in hac vita: illi te recipiant in aeterna tabernacula. Serva te tamquam peregrinum et hospitem

super terram: ad quem nihil spectat de mundi negotiis. Serva cor liberum et ad Deum sursum erectum: quia non habes hic manentem civitatem. Illuc preces et gemitus cotidianos cum lacrimis dirige: ut spiritus tuus mereatur ad Dominum post mortem feliciter transire. Amen.

DE IVDICIO ET POENIS PECCATORVM.

CAPITVLVM XXIIII.

IN omnibus rebus respice finem: et qualiter ante districtum stabis iudicem, cui nihil est occultum; qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit: sed quod iustum est iudicabit. O miserrime et insipiens peccator, quid respondebis Deo omnia mala tua scienti; qui interdum formidas vultum hominis irati? Vt quid non praevides tibi in die iudicii quando nemo poterit per alium excusari vel defendi; sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi? Nunc labor tuus est fructuosus; fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis: dolor satisfactorius et purgativus.

Habet magnum et salubre purgatorium patiens homo: qui suscipiens iniurias plus dolet de alterius malitia, quam de sua iniuria; qui pro contrariantibus sibi libenter

orat: et ex corde culpas indulget; qui veniam ab aliis petere non retardat: qui facilius miseretur quam irascitur; qui sibi ipsi violentiam frequenter facit: et carnem omnino spiritui subiugare conatur. Melius est modo purgare peccata et vitia resecare: quam in futuro purganda reservare. Vere nos ipsos decipimus: per inordinatum amorem quem ad carnem habemus. Quid aliud ignis ille devorabit; nisi peccata tua? Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, et carnem sequeris: tanto durius postea lues, et maiorem materiam comburendi reservas. In quibus homo peccavit: in illis gravius punietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis perurgentur: et gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur. Ibi luxuriosi et voluptatum amatores ardenti pice et foetido sulphure perfundentur: et sicut furiosi canes prae dolore invidiosi ululabunt. Nullum vitium erit: quod suum proprium cruciatum non habebit. Ibi superbi omni confusione replebuntur: et avari miserrima egestate artabuntur. Ibi erit una hora gravior in poena: quam hic centum anni in gravissima paenitentia. Ibi nulla requies est, nulla consolatio damnatis: hic tamen interdum cessatur a laboribus, atque amicorum fruitur solaciis. Esto modo sollicitus et dolens, pro peccatis tuis: ut in die iudicii

securus sis cum beatis. Tunc enim iusti stabunt in magna constantia: adversus eos qui se angustiaverunt et depresserunt. Tunc stabit ad iudicandum: qui modo se subicit humiliter iudiciis hominum. Tunc magnam fiduciam habebit pauper et humilis: et pavebit undique superbus. Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse: qui pro Christo didicit stultus et despectus esse. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpessa: et omnis iniquitas oppilabit os suum. Tunc gaudebit omnis devotus: et maerebit omnis irreligiosus. Tunc plus exultabit caro afflicta: quam si in deliciis fuisset semper nutrita. Tunc splendebit habitus vilis: et obtenebrescet vestis subtilis. Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium: quam deauratum palatium. Tunc plus iuvabit constans patientia: quam omnis mundi potentia. Tunc amplius exaltabitur simplex oboedientia: quam omnis saecularis astutia. Tunc plus laetificabit pura et bona conscientia: quam docta philosophia. Tunc plus ponderabit contemptus divitiarum: quam totus thesaurus terrigenarum. Tunc magis consolaberis super devota oratione: quam super delicata comestione. Tunc potius gaudebis de servato silentio: quam de longa fabulatione. Tunc plus valebunt sancta opera: quam multa pulchra verba.

Tunc plus placebit stricta vita et ardua paenitentia: quam omnis delectatio terrena. Disce te nunc in modico pati: ut tunc a gravioribus valeas liberari. Hic primo proba: quid possis postea. Si nunc tam parum vales sustinere; quomodo aeterna tormenta poteris sufferre? Si modo modica passio tam impatientem efficit; quid gehenna tunc faciet? Ecce vere non potes duo gaudia habere: delectari hic in mundo et postea regnare cum Christo. Si usque in hodiernum diem semper in honoribus et voluptatibus vixisses; quid totum tibi profuisset, si iam mori in instanti contingeret? Omnia ergo vanitas: praeter amare Deum et illi soli servire. Qui enim Deum ex toto corde amat; nec mortem nec supplicium, nec iudicium nec infernum metuit: quia perfectus amor securum ad Deum accessum facit. Quem autem adhuc peccare delectat: non mirum si mortem et iudicium timeat. Bonum tamen est, ut si necdum amor a malo te revocat: saltem timor gehennalis coerceat. Qui vero timorem Dei postponit; diu stare in bono non valebit: sed diaboli laqueos citius incurret.

DE FERVENTI EMENDATIONE TOTIVS VITAE NOSTRAE.

CAPITVLVM XXV.

ESto vigilans et diligens in Dei servitio; et cogita frequenter ad quid venisti: et cur saeculum reliquisti. Nonne ut Deo viveres; et spiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferveas; quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies: nec erit tunc amplius timor aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis: et magnam requiem immo perpetuam laetitiam invenies. Si tu permanseris fidelis et fervidus in agendo: Deus procul dubio erit fidelis et locuples in retribuendo. Spem bonam retinere debes quod ad palmam pervenies; sed securitatem capere non oportet: ne torpeas aut elatus fias.

Cum quidam anxius inter metum et spem frequenter fluctuaret; et quadam vice maerore confectus, in ecclesia ante quoddam altare, se in oratione prostravisset: haec intra se revolvit dicens. O si scirem quod adhuc perseveraturus essem. Statimque audivit divinum intus responsum. Quod si hoc scires; quid facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles: et bene securus eris. Moxque consolatus et confortatus divinae se commisit volun-

tati: et cessavit anxia fluctuatio. Noluitque curiose investigare ut sciret quae sibi essent futura; sed magis studuit inquirere, quae esset voluntas Dei beneplacens et perfecta: ad omne opus bonum inchoandum et perficiendum. Spera in Domino et fac bonitatem ait propheta, et inhabita terram: et pasceris in divitiis eius. Vnum est quod multos a profectu et ferventi emendatione retrahit: horror difficultatis seu labor certaminis. Enimvero illi maxime prae ceteris in virtutibus proficiunt: qui ea quae sibi magis gravia et contraria sunt virilius vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, et gratiam meretur ampliorem: ubi magis se ipsum vincit et in spiritu mortificat. Sed non omnes habent aeque multum ad vincendum et moriendum. Diligens tamen aemulator valentior erit ad proficiendum etiam si plures habeat passiones: quam alius bene morigeratus, minus tamen fervens ad virtutes. Duo specialiter ad magnam emendationem iuvant; videlicet subtrahere se violenter ad quod natura vitiose inclinatur: et ferventer instare pro bono quo amplius quis indiget. Illa etiam studeas magis cavere et vincere: quae tibi frequentius in aliis displicent. Vbique profectum tuum capias: ut si bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris. Si

quid autem reprehensibile consideraveris: cave ne idem facias. Aut si aliquando fecisti: citius emendare te studeas. Sicut oculus tuus alios considerat: sic iterum ab aliis notaris. Quam iucundum et dulce est videre fervidos et devotos fratres: bene morigeratos et disciplinatos. Quam triste est et grave videre inordinate ambulantes: qui ea ad quae vocati sunt non exercent. Quam nocivum est neglegere vocationis suae propositum: et ad non commissa sensum inclinare.

Memor esto arrepti propositi: et imaginem tibi propone Crucifixi. Bene verecundari potes inspecta vita Iesu Christi; quia necdum magis illi te conformare studuisti: licet diu in via Dei fuisti. Religiosus qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet; omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi inveniet: nec opus est ut extra Iesum aliquid melius quaerat. O si Iesus crucifixus in cor nostrum veniret: quam cito et sufficienter docti essemus. Religiosus fervidus, omnia bene portat et capit: quae illi iubentur. Religiosus neglegens et tepidus, habet tribulationem super tribulationem: et ex omni parte patitur angustiam; quia interiori consolatione caret: et exteriorem quaerere prohibetur. Religiosus extra disciplinam

vivens: gravi patet ruinae. Qui laxiora quaerit et remissiora, semper in angustiis erit: quia unum aut reliquum sibi displicebit. Quomodo faciunt tam multi alii religiosi; qui satis artati sunt sub disciplina claustrali? Raro exeunt, abstracte vivunt, pauperrime comedunt: grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur; diu vigilant, mature surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt: et se in omni disciplina custodiunt. Attende Carthusienses, Cistercienses et diversae religionis monachos ac moniales: qualiter omni nocte ad psallendum Domino assurgunt. Et ideo turpe esset ut tu deberes in tam sancto opere pigritari: ubi tanta multitudo religiosorum incipit Deo iubilare. O si nihil aliud faciendum incumberet: nisi Dominum Deum nostrum toto corde et ore laudare. O si numquam indigeres comedere nec bibere, nec dormire: sed semper posses Deum laudare, et solummodo spiritualibus studiis vacare; tunc multo felicior esses: quam modo cum carni ex qualicumque necessitate servis. Vtinam non essent istae necessitates; sed solum spirituales animae refectiones: quas heu satis raro degustamus. Quando homo ad hoc pervenit, quod de nulla creatura consolationem suam quaerit; tunc ei Deus primo per-

fecte sapere incipit: tunc etiam bene contentus de omni eventu rerum erit. Tunc nec pro magno laetabitur nec pro modico contristabitur: sed ponit se integre et fiducialiter in Deo qui est ei omnia in omnibus; cui nihil utique perit, nec moritur: sed omnia ei vivunt et ad nutum incunctanter deserviunt. Memento semper finis: et quia perditum non redit tempus. Sine sollicitudine et diligentia numquam acquires virtutes. Si incipis tepescere: incipies male habere. Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem; et senties leviorem laborem: propter Dei gratiam et virtutis amorem. Homo fervidus et diligens: ad omnia est paratus. Maior labor est resistere vitiis et passionibus: quam corporalibus insudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus: paulatim labitur ad maiores. Gaudebis semper vespere: si diem expendas fructuose. Vigila super te ipsum: excita te ipsum, admone te ipsum; et quidquid de aliis sit: non neglegas te ipsum. Tantum proficies: quantum tibi ipsi vim intuleris. Amen.

EXPLICIVNT ADMONITIONES AD SPIRITVALEM VITAM VTILES.

ADMONITIONES AD INTERNA TRAHENTES

[DE IMITATIONE CHRISTI QVAE VVLGO DICITVR LIBER SECVNDVS]

INCIPIVNT CAPITVLA.

DE interna conversatione I
DE humili submissione II
DE bono pacifico homine III
DE pura mente et simplici intentione IIII
DE propria consideratione V
DE laetitia bonae conscientiae VI
DE amore Iesu super omnia VII
DE familiari amicitia Iesu VIII
DE carentia omnis solacii IX
DE gratitudine pro gratia Dei X
DE paucitate amatorum crucis Iesu XI
DE regia via sanctae crucis XII

INCIPIVNT ADMONITIONES AD INTERNA TRAHENTES

DE INTERNA CONVERSATIONE.

CAPITVLVM I.

Regnum Dei intra vos est dicit Dominus. Converte te ex toto corde ad Dominum; et relinque hunc miserum mundum: et inveniet anima tua requiem. Disce exteriora contemnere et ad interiora te dare: et videbis regnum Dei in te venire. Est enim regnum Dei pax et gaudium in spiritu sancto: quod non datur impiis. Veniet ad te Christus ostendens tibi consolationem suam: si dignam illi ab intus paraveris mansionem. Omnis gloria eius et decor ab intra est: et ibi complacet sibi. Frequens illi visitatio cum homine interno; dulcis sermocinatio grata consolatio: multa pax, familiaritas stupenda nimis. Eia anima fidelis praepara huic

sponso cor tuum: quatenus ad te venire, et in te habitare dignetur. Sic enim dicit. Si quis diligit me sermonem meum servabit; et ad eum veniemus: et mansionem apud eum faciemus. Da ergo Christo locum: et ceteris omnibus nega introitum. Cum Christum habueris: dives es et sufficit tibi. Ipse erit provisor tuus et fidelis procurator in omnibus: ut non sit opus in hominibus sperare. Homines enim cito mutantur et deficiunt velociter; Christus autem manet in aeternum: et astat usque in finem firmiter. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili et mortali, etiam si utilis sit et dilectus; neque tristitia multa ex hoc capienda: si interdum adversetur et contradicat. Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt: et e converso saepe ut aura vertuntur.

Pone totam fiduciam tuam in Deo: et sit ipse timor tuus et amor tuus. Ipse pro te respondebit: et faciet bene sicut melius fuerit. Non habes hic manentem civitatem: et ubicumque fueris extraneus es et peregrinus; nec requiem aliquando habebis: nisi Christo intime fueris unitus. Quid hic circumspicis; cum iste non sit locus tuae requietionis? In caelestibus debet esse habitatio tua: et sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda. Transeunt omnia: et tu cum eis pariter.

Vide ut non inhaereas: ne capiaris et pereas. Apud Altissimum sit cogitatio tua: et deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur. Si nescis speculari alta et caelestia; requiesce in passione Christi: et in sacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera et pretiosa stigmata Iesu devote confugis: magnam in tribulatione confortationem senties; nec multum curabis hominum despectiones: faciliterque verba detrahentia perferes. Christus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus: et in maxima necessitate a notis et amicis inter obprobria derelictus. Christus pati voluit et despici; et tu audes de aliquo conqueri? Christus habuit adversarios et oblocutores; et tu vis omnes hàbere amicos et benefactores? Vnde coronabitur patientia tua; si nil adversitatis occurrerit? Si nihil contrarium vis pati; quomodo eris amicus Christi? Sustine te cum Christo et pro Christo: si vis regnare cum Christo. Si semel perfecte introisses in interiora Iesu, et modicum de ardente amore eius sapuisses: tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares; sed magis de obprobrio illato gauderes: quia amor Iesu facit hominem se ipsum contemnere. Amator Iesu et veritatis, et verus internus et liber ab affectionibus

inordinatis: potest se ad Deum libere convertere, et elevare supra se ipsum in spiritu ac fruitive quiescere. Cui sapiunt omnia prout sunt, non ut dicuntur aut aestimantur; hic vere sapiens est: et doctus magis a Deo quam ab hominibus. Qui ab intra scit ambulare, et modicum ab extra res ponderare; non requirit loca nec expectat tempora: ad habenda devota exercitia. Homo internus cito se recolligit: quia numquam se totum ad exteriora effundit. Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria; sed sicut res eveniunt: sic se illis accommodat. Qui intus bene dispositus est et ordinatus: non curat mirabiles et perversos hominum gestus. Tantum homo impeditur et distrahitur: quantum sibi res attrahit. Si recte tibi esset et bene purgatus esses: omnia tibi in bonum cederent et profectum. Ideo multa tibi displicent et saepe conturbant; quia adhuc non es perfecte tibi ipsi mortuus: nec segregatus ab omnibus terrenis. Nil sic maculat et implicat cor hominis: sicut impurus amor in creaturis. Si renuis consolari exterius: poteris speculari caelestia, et frequenter iubilare interius.

DE HVMILI SVBMISSIONE.

CAPITVLVM II.

NOn magni pendas quis pro te vel contra te sit: sed hoc age et cura, ut Deus tecum sit in omni re quam facis. Habeas conscientiam bonam: et Deus bene te defensabit. Quem enim Deus adiuvare voluerit: nullius perversitas nocere poterit. Si tu scis tacere et pati: videbis procul dubio auxilium Domini. Ipse novit tempus et modum liberandi te: et ideo te debes illi resignare. Dei est adiuvare: et ab omni confusione liberare. Saepe valde prodest ad maiorem humilitatem servandam: quod defectus nostros alii sciunt et redarguunt. Quando homo pro defectibus suis se humiliat tunc faciliter alios placat: et leviter satisfacit sibi irascentibus. Humilem Deus protegit et liberat: humilem diligit et consolatur. Humili homini se inclinat; humili largitur gratiam magnam: et post suam depressionem levat ad gloriam. Humili sua secreta revelat: et ad se dulciter trahit et invitat. Humilis accepta confusione satis bene est in pace: quia stat in Deo et non in mundo. Non reputes te aliquid profecisse: nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

DE BONO PACIFICO HOMINE.

CAPITVLVM III.

TEne te primo in pace: et tunc poteris alios pacificare. Homo pacificus magis prodest: quam bene doctus. Homo passionatus etiam bonum in malum trahit: et faciliter malum credit. Bonus pacificus homo: omnia ad bonum convertit. Qui bene in pace est: de nullo suspicatur. Qui autem male contentus est et commotus: variis suspicionibus agitatur. Nec ipse quiescit: nec alios quiescere permittit. Dicit saepe quod dicere non deberet: et omittit quod sibi magis facere expediret. Considerat quid alii facere tenentur: et neglegit quid ipse teneatur. Habe ergo primo zelum super te ipsum: et tunc iuste zelare poteris etiam proximum tuum. Tu bene scis facta tua excusare et colorare: et aliorum excusationes non vis recipere. Iustius esset ut te accusares: et fratrem tuum excusares. Si portari vis: porta et alium. Vide quam longe es adhuc a vera caritate et humilitate: quae nulli novit irasci vel indignari, nisi tantum sibi. Non est magnum cum bonis et mansuetis conversari: hoc enim omnibus naturaliter placet; et unusquisque libenter pacem

habet: et secum sentientes magis diligit. Sed cum duris et perversis aut indisciplinatis aut nobis contrariantibus pacifice posse vivere: magna gratia est et laudabile nimis, virileque factum. Sunt qui se ipsos in pace tenent: et cum aliis etiam pacem habent. Et sunt qui nec pacem habent: nec alios in pace dimittunt. Aliis sunt graves: sed sibi semper graviores. Et sunt qui se ipsos in pace retinent: et ad pacem alios reducere student. Est tamen tota pax nostra in hac misera vita potius in humili sufferentia ponenda: quam in non sentiendo contraria. Qui melius scit pati: maiorem tenebit pacem. Iste est victor sui et dominus mundi: amicus Christi et heres caeli.

DE PVRA MENTE ET SIMPLICI INTENTIONE.

CAPITVLVM IIII.

DVabus alis homo sublevatur a terrenis: simplicitate scilicet et puritate. Simplicitas debet esse in intentione: puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum: puritas apprehendit et gustat. Nulla bona actio te impediet: si liber intus ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud quam Dei beneplacitum et proximi utilitatem intendis et quaeris: interna liber-

tate perfrueris. Si rectum cor tuum esset: tunc omnis creatura speculum vitae et liber sanctae doctrinae esset. Non est creatura tam parva et vilis: quae Dei bonitatem non repraesentet. Si tu esses intus bonus et purus: tunc omnia sine impedimento videres et bene caperes. Cor purum, penetrat caelum et infernum. Qualis unusquisque intus est: taliter iudicat exterius. Si est gaudium in mundo: hoc utique possidet puri cordis homo. Et si est alicubi tribulatio et angustia: hoc melius novit mala conscientia. Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, et totum candens efficitur; sic homo integre ad Deum se convertens a torpore exuitur: et in novum hominem transmutatur. Quando homo incipit tepescere, tunc parvum metuit laborem: et libenter externam accipit consolationem. Sed quando perfecte incipit se vincere et viriliter in via Dei ambulare; tunc minus ea reputat: quae sibi prius gravia esse sentiebat.

DE PROPRIA CONSIDERATIONE.

CAPITVLVM V.

NOn possumus nobis ipsis nimis credere: quia saepe gratia nobis deest et sensus. Modicum lumen est in nobis:

et hoc cito per neglegentiam amittimus. Saepe etiam non advertimus: quod tam caeci intus sumus. Saepe male agimus: et peius excusamus. Passione interdum movemur: et zelum putamus. Parva in aliis reprehendimus: et nostra maiora pertransimus. Satis cito sentimus et ponderamus quid ab aliis sustinemus: sed quantum alii de nobis sustinent non advertimus. Qui bene et recte sua ponderaret: non esset quod de alio graviter iudicaret. Internus homo, sui ipsius curam omnibus curis anteponit. Et qui sibi ipsi diligenter intendit: faciliter de aliis tacet. Numquam eris internus et devotus: nisi de alienis silueris, et ad te ipsum specialiter respexeris. Si tibi et Deo totaliter intendis: modicum te movebit quod foris percipis. Vbi es quando tibi ipsi praesens non es? Et quando omnia percurristi; quid te neglecto profecisti? Si debes habere pacem et unionem veram; oportet quod totum adhuc postponas: et te solum prae oculis habeas. Multum proinde proficies: si te feriatum ab omni temporali cura conserves. Valde deficies: si aliquid temporale reputaveris. Nil magnum nil altum, nil gratum nil acceptum tibi sit: nisi pure Deus aut de Deo sit. Totum vanum existima: quidquid consolationis occurrerit de aliqua creatura. Amans

Deum anima: sub Deo despicit universa. Solus Deus aeternus et immensus implens omnia: solacium animae et vera cordis laetitia.

DE LAETITIA BONAE CONSCIENTIAE.

CAPITVLVM VI.

GLoria boni hominis: testimonium bonae conscientiae. Habe bonam conscientiam: et habebis semper laetitiam. Bona conscientia valde multa potest portare: et valde laeta est inter adversa. Mala conscientia, semper timida est et inquieta. Suaviter requiesces: si cor tuum te non reprehenderit. Noli laetari: nisi cum bene feceris. Mali numquam habent veram laetitiam nec internam sentiunt pacem: quia non est pax impiis dicit Dominus. Et si dixerint, in pace sumus, non venient super nos mala, et quis nobis nocere audebit: ne credas eis; quoniam repente exurget ira Dei, et in nihilum redigentur actus eorum: et cogitationes eorum peribunt. Gloriari in tribulatione, non est grave amanti: sic enim gloriari est gloriari in cruce Domini. Brevis gloria: quae ab hominibus datur et accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in con-

scientiis eorum: et non in ore hominum. Iustorum laetitia de Deo et in Deo est: et gaudium eorum de veritate. Qui veram et aeternam gloriam desiderat: temporalem non curat. Et qui temporalem requirit gloriam aut non ex animo contemnit: minus amare convincitur caelestem. Magnam habet cordis tranquillitatem: qui nec laudes curat nec vituperia. Facile erit contentus et pacatus: cuius conscientia munda est. Non es sanctior si laudaris: nec vilior si vituperaris. Quod es hoc es: nec maior dici vales quam Deo teste sis. Si attendis quid apud te sis intus: non curabis quid de te loquantur homines. Homo videt in facie: Deus autem in corde. Homo considerat actus: Deus vero pensat intentiones. Bene semper agere et modicum de se tenere: humilis animae indicium est. Nolle consolari ab aliqua creatura: magnae puritatis et internae fiduciae signum est. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quaerit: liquet quod totaliter se Deo commisit. Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est ait beatus Paulus: sed quem Deus commendat. Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris: status est interni hominis.

DE AMORE IESV SVPER OMNIA.

CAPITVLVM VII.

BEatus qui intellegit quid sit amare Iesum: et contemnere se ipsum propter Iesum. Oportet dilectum pro dilecto relinquere: quia Iesus vult solus super omnia amari. Dilectio creaturae fallax et instabilis: dilectio Iesu fidelis et perseverabilis. Qui adhaeret creaturae cadet cum labili: qui amplectitur Iesum firmabitur in aevum. Illum dilige et amicum tibi retine; qui omnibus recedentibus te non relinquet: nec patietur in fine perire. Ab omnibus oportet te aliquando separari: sive velis sive nolis. Teneas te apud Iesum vivens ac moriens et illius fidelitati te committe: qui omnibus deficientibus solus te potest iuvare. Dilectus tuus talis est naturae, ut alienum non velit admittere; sed solus vult cor tuum habere: et tamquam rex in proprio throno sedere. Si scires te bene ab omni creatura evacuare: Iesus deberet libenter tecum habitare. Paene totum perditum invenies: quidquid extra Iesum in hominibus posueris. Non confidas nec innitaris super calamum ventosum; quia omnis caro faenum: et omnis gloria eius ut flos faeni cadet. Cito decipieris: si ad

externam hominum apparentiam tantum aspexeris. Si enim tuum in aliis quaeris solacium et lucrum: senties saepius detrimentum. Si quaeris in omnibus Iesum: invenies utique Iesum. Si autem quaeris te ipsum, invenies etiam te ipsum: sed ad tuam perniciem. Plus enim homo nocivior sibi si Iesum non quaerit: quam totus mundus et omnes sui adversarii.

DE FAMILIARI AMICITIA IESV.

CAPITVLVM VIII.

QVando Iesus adest totum bonum est: nec quicquam difficile videtur. Quando vero Iesus non adest: totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur: consolatio vilis est. Si autem Iesus unum tantum verbum loquitur: magna consolatio sentitur. Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco in quo flevit; quando Martha illi dixit, magister adest et vocat te? Felix hora: quando Iesus vocat de lacrimis ad gaudium spiritus. Quam aridus et durus es sine Iesu. Quam insipiens et vanus: si cupis aliquid extra Iesum. Nonne hoc est maius damnum; quam si totum perderes mundum? Quid potest tibi mundus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu gravis est infernus: et esse cum Iesu dulcis paradisus. Si fuerit

tecum Iesus: nullus poterit nocere inimicus. Qui invenit Iesum invenit thesaurum bonum: immo bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum perdit nimis multum: et plus quam totum mundum. Pauperrimus est qui vivit sine Iesu: et ditissimus qui bene est cum Iesu.

Magna ars est, scire cum Iesu conversari: et scire Iesum tenere magna prudentia. Esto humilis et pacificus: et erit tecum Iesus. Sis devotus et quietus: et manebit tecum Iesus. Potes cito fugare Iesum et gratiam eius perdere: si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaveris et perdideris; ad quem fugies et quem tunc quaeres amicum? Sine amico non potes bene vivere; et si Iesus non fuerit tibi prae omnibus amicus: eris nimis tristis et desolatus. Fatue igitur agis: si in aliquo altero confidis aut laetaris. Eligendum est magis totum mundum habere contrarium: quam Iesum offensum. Ex omnibus ergo caris: sit Iesus solus dilectus specialis.

Diligantur omnes propter Iesum: Iesus autem propter se ipsum. Solus Iesus Christus singulariter est amandus: qui solus bonus et fidelis prae omnibus invenitur amicis. Propter ipsum et in ipso tam amici quam inimici sint tibi cari; et pro omnibus his exorandus est: ut

omnes ipsum cognoscant et diligant. Numquam cupias singulariter laudari vel amari; quia hoc solius Dei est: qui similem sibi non habet. Nec velis quod aliquis tecum in corde suo occupetur; neque tu cum alicuius occuperis amore: sed sit Iesus in te et in omni bono homine. Esto purus et liber ab intus: sine alicuius creaturae implicamento. Oportet te esse nudum et purum cor ad Deum gerere: si vis vacare et videre quam suavis sit Dominus. Et revera ad hoc non pervenies nisi gratia eius fueris praeventus et intractus; ut omnibus evacuatis et licentiatis: solus cum solo uniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem: tunc potens fit ad omnia. Et quando recedit, tunc pauper et infirmus erit: et quasi tantum ad flagella relictus. In his non debet deici nec desperare, sed ad voluntatem Dei aequanimiter stare: et cuncta supervenientia sibi ad laudem Iesu Christi perpeti; quia post hiemem sequitur aestas: post noctem redit dies, et post tempestatem magna serenitas.

DE CARENTIA OMNIS SOLACII.

CAPITVLVM IX.

NOn est grave humanum contemnere solacium: cum adest divinum. Magnum est et valde magnum tam humano

quam divino posse carere solacio; et pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere, et in nullo se ipsum quaerere: nec ad proprium meritum respicere. Quid magni est, si hilaris sis et devotus adveniente gratia? Optabilis cunctis haec hora. Satis suaviter equitat: quem gratia Dei portat. Et quid mirum si onus non sentit, qui portatur ab omnipotente; et ducitur a summo ductore? Libenter habemus aliquid pro solacio: et difficulter homo exuitur a se ipso. Vicit sanctus martyr Laurentius saeculum cum suo sacerdote: quia omne quod in mundo delectabile videbatur despexit; et summum Dei sacerdotem Sixtum quem maxime diligebat: pro amore Christi etiam a se tolli clementer ferebat. Amore igitur creatoris amorem hominis superavit: et pro humano solacio divinum beneplacitum magis elegit. Ita et tu aliquem necessarium et dilectum amicum pro amore Dei disce relinquere; nec graviter feras cum ab amico derelictus fueris: sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab invicem separari. Multum et diu oportet hominem in se ipso certare, antequam discat se ipsum plene superare: et totum affectum suum in Deum trahere. Quando homo stat super se ipsum: facile labitur ad consolationes humanas. Sed verus

amator Christi et studiosus sectator virtutum, non cadit super consolationes; nec quaerit tales sensibiles dulcedines: sed magis fortes exercitationes et pro Christo duros sustinere labores.

Cum igitur spiritualis a Deo consolatio datur, cum gratiarum actione accipe eam; sed Dei munus intellege esse: non tuum meritum. Noli extolli, noli nimium gaudere nec inaniter praesumere; sed esto magis humilior ex dono, cautior quoque et timoratior in cunctis actibus tuis: quoniam transibit hora illa et sequetur temptatio. Cum ablata fuerit consolatio non statim desperes; sed cum humilitate et patientia expecta caelestem visitationem: quoniam potens est Deus ampliorem tibi redonare consolationem. Istud non est novum nec alienum viam Dei expertis: quia in magnis sanctis et in antiquis prophetis, fuit saepe talis alternationis modus. Vnde quidam praesente iam gratia dicebat. Ego dixi in abundantia mea: non movebor in aeternum. Absente vero gratia quid in se fuerit expertus: adiungit dicens. Avertisti faciem tuam a me: et factus sum conturbatus. Inter haec tamen nequaquam desperat: sed instantius Dominum rogat et dicit. Ad te Domine clamabo: et ad Deum meum deprecabor. Denique orationis suae fruc-

tum reportat: et se exauditum testatur dicens. Audivit Dominus et misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus. Sed in quo? Convertisti inquit planctum meum in gaudium mihi: et circumdedisti me laetitia. Si sic actum est cum magnis sanctis; non est desperandum nobis infirmis et pauperibus, si interdum in fervore et interdum in frigiditate sumus: quoniam spiritus venit et recedit secundum suae beneplacitum voluntatis. Vnde beatus Iob ait. Visitas eum diluculo: et subito probas illum.

Super quid igitur sperare possum aut in quo confidere debeo; nisi in sola magna misericordia Dei, et in sola spe gratiae caelestis? Sive enim assint homines boni sive devoti fratres vel amici fideles: sive libri sancti vel tractatus pulchri, sive dulcis cantus et hymni; omnia haec modicum iuvant, modicum sapiunt: quando desertus sum a gratia et in propria paupertate relictus. Tunc non est melius remedium: quam patientia et abnegatio mei in voluntate Dei. Numquam inveni aliquem tam religiosum et devotum, qui non habuerit interdum gratiae subtractionem: aut non senserit fervoris diminutionem. Nullus sanctus fuit tam alte raptus et illuminatus: qui prius vel postea non fuerit temptatus. Non enim dignus est

alta Dei contemplatione: qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis: temptatio praecedens esse signum. Nam temptationibus probatis: caelestis promittitur consolatio. Qui vicerit inquit: dabo ei edere de ligno vitae. Datur autem consolatio divina: ut homo fortior sit ad sustinendum adversa. Sequitur etiam temptatio: ne se elevet de bono. Non dormit diabolus nec caro adhuc mortua est, ideo non cesses te praeparare ad certamen: quia a dextris et a sinistris hostes sunt qui numquam quiescunt.

DE GRATITVDINE PRO GRATIA DEI.

CAPITVLVM X.

QVr quaeris quietem; cum natus sis ad laborem? Pone te ad patientiam magis quam ad consolationes: et ad crucem portandam magis quam ad laetitiam. Quis enim saecularium non libenter consolationem et laetitiam spiritualem acciperet; si semper optinere posset? Excedunt enim spirituales consolationes: omnes mundi delicias et carnis voluptates. Nam omnes deliciae mundanae: aut vanae sunt aut turpes. Spirituales vero deliciae solae iucundae et honestae: ex virtutibus progenitae, et a

Deo puris mentibus infusae. Sed istis divinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet: quia tempus temptationis non diu cessat. Multum autem contrariatur supernae visitationi: falsa libertas animi et magna confidentia sui. Deus bene facit consolationis gratiam dando: sed homo male agit non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo. Et ideo non possunt in nobis dona gratiae fluere; quia ingrati sumus auctori: nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia digne gratias referenti: et auferetur ab elato quod dari solet humili. Nolo consolationem: quae mihi aufert compunctionem. Nec affecto contemplationem: quae ducit in elationem. Non enim omne altum sanctum; nec omne dulce bonum nec omne desiderium purum: nec omne carum Deo gratum. Libenter accepto gratiam unde semper humilior et timoratior inveniar: atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiae et eruditus subtractionis verbere non sibi audebit quicquam boni attribuere: sed potius se pauperem et nudum confitebitur. Da Deo quod Dei est, et tibi ascribe quod tuum est: hoc est Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem soli culpam: et dignam poenam pro culpa deberi sentias. Pone te semper

ad infimum, et dabitur tibi summum: nam summum non stat sine infimo. Summi sancti apud Deum: minimi sunt apud se. Et quanto gloriosiores: tanto in se humiliores. Pleni veritate et gloria caelesti: non sunt vanae gloriae cupidi. In Deo fundati et confirmati: nullo modo possunt esse elati. Et qui totum Deo ascribunt quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quaerunt: sed gloriam quae a solo Deo est volunt; et Deum in se et in omnibus sanctis laudari super omnia cupiunt: et semper in id ipsum tendunt. Esto igitur gratus pro minimo: et eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimum etiam pro maximo: et magis contemptibile pro speciali dono. Si dignitas datoris inspicitur: nullum datum parvum aut nimis vile videbitur. Non enim parvum est: quod a summo Deo donatur. Etiam si poenas et verbera dederit, gratum esse debet: quia semper pro salute nostra facit quidquid nobis advenire permittit. Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data: patiens pro sublata. Oret ut redeat: cautus sit et humilis ne amittat.

DE PAVCITATE AMATORVM CRVCIS IESV.

CAPITVLVM XI.

HAbet Iesus nunc multos amatores regni sui caelestis: sed paucos baiulatores suae crucis. Multos habet desideratores consolationis: sed paucos tribulationis. Plures invenit socios mensae: sed paucos abstinentiae. Omnes cupiunt cum eo gaudere: pauci volunt pro eo aliquid sustinere. Multi Iesum sequuntur usque ad fractionem panis: sed pauci usque ad bibendum calicem passionis. Multi miracula eius venerantur: pauci ignominiam crucis sequuntur. Multi Iesum diligunt: quamdiu adversa non contingunt. Multi illum laudant et benedicunt: quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt. Si autem Iesus se absconderit et modicum eos reliquerit: aut in querimoniam vel in deiectionem nimiam cadunt. Qui autem Iesum propter Iesum et non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt: ipsum in omni tribulatione et angustia cordis sicut in summa consolatione benedicunt. Et si numquam eis consolationem dare vellet; ipsum tamen semper laudarent: et semper gratias agere vellent. O quantum potest amor Iesu

purus: nullo proprio commodo vel amore permixtus. Nonne omnes mercennarii sunt dicendi; qui consolationes semper quaerunt? Nonne amatores sui magis quam Christi probantur; qui sua commoda et lucra semper meditantur? Vbi invenietur talis; qui velit Deo servire gratis? Raro invenitur tam spiritualis aliquis: qui omnibus sit nudatus. Nam verum pauperem spiritu, et ab omni creatura nudum quis inveniet? Procul et de ultimis finibus, pretium eius. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est: et si fecerit paenitentiam magnam adhuc exiguum est, et si apprehenderit omnem scientiam adhuc longe est: et si habuerit virtutem magnam, et devotionem nimis ardentem; adhuc multum sibi deest: scilicet unum quod summe sibi necessarium est. Quid illud? Vt omnibus relictis se relinquat et a se totaliter exeat: nihilque de privato amore retineat. Cumque omnia fecerit quae facienda noverit, nil se fecisse sentiat: non grande ponderet quod grande aestimari possit; sed in veritate servum inutilem se pronuntiet: sicut Veritas ait. Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis: dicite, servi inutiles sumus. Tunc vere pauper et nudus spiritu esse poterit: et cum propheta dicere. Quia unicus et

pauper sum ego. Nemo tamen isto ditior nemo potentior nemo liberior, qui se et omnia relinquere scit: et ad infimum se ponere.

DE REGIA VIA SANCTAE CRVCIS.

CAPITVLVM XII.

DVrus multis videtur hic sermo abnega temet ipsum: tolle crucem tuam, et sequere Iesum. Sed multo durius erit audire illud extremum verbum: discedite a me maledicti in ignem aeternum. Qui enim modo libenter audiunt et sequuntur verbum crucis: tunc non timebunt ab auditione aeternae damnationis. Hoc signum crucis erit in caelo: cum Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes servi crucis qui se Crucifixo conformaverunt in vita: accedent ad Christum iudicem cum magna fiducia. Quid igitur times tollere crucem; per quam itur ad regnum? In cruce salus, in cruce vita; in cruce protectio ab hostibus: in cruce infusio supernae suavitatis; in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus: in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. Non est salus animae nec spes aeternae vitae: nisi in cruce. Tolle ergo crucem tuam et sequere Iesum: et ibis in vitam aeternam. Praecessit ille baiulans sibi crucem,

et mortuus est pro te in cruce; ut et tu tuam portes crucem: et mori affectes in cruce. Quia si commortuus fueris: etiam cum illo pariter vives. Et si socius fueris poenae: eris et gloriae. Ecce in cruce totum constat, et in moriendo totum iacet; et non est alia via ad vitam et ad veram internam pacem: nisi via sanctae crucis et cotidianae mortificationis. Ambula ubi vis, quaere quodcumque volueris; et non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra: nisi viam sanctae crucis. Dispone et ordina omnia secundum tuum velle et videre; et non invenies nisi semper aliquid pati debere, aut sponte aut invite: et ita crucem semper invenies. Aut enim in corpore dolorem senties: aut in anima spiritus tribulationem sustinebis. Interdum a Deo relinqueris, interdum a proximo exercitaberis: et quod amplius est saepe tibimet ipsi gravis eris; nec tamen aliquo remedio vel solacio liberari seu alleviari poteris: sed donec Deus voluerit oportet ut sustineas. Vult enim Deus ut tribulationem sine consolatione pati discas; et ut illi totaliter te subicias: et humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi: sicut is cui contigerit similia pati. Crux ergo semper parata est: et ubique te expectat. Non potes effugere, ubicumque cucurreris;

quia ubicumque veneris te ipsum tecum portas: et semper te ipsum invenies. Converte te supra, converte te infra; converte te extra, converte te intra: et in his omnibus invenies crucem; et necesse est te ubique tenere patientiam: si internam vis habere pacem, et perpetuam promereri coronam.

Si libenter crucem portas portabit te, et ducet ad desideratum finem, ubi scilicet finis patiendi erit: quamvis hic non erit. Si invite portas onus tibi facis, et te ipsum magis gravas: et tamen oportet ut sustineas. Si abicis unam crucem, aliam procul dubio invenies: et forsitan graviorem. Credis tu evadere; quod nullus mortalium potuit praeterire? Quis sanctorum in mundo sine cruce et tribulatione fuit? Nec enim Iesus Christus Dominus noster una hora sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Oportebat ait Christum pati, et resurgere a mortuis: et ita intrare in gloriam suam. Et quomodo tu aliam viam quaeris; quam hanc regiam viam quae est via sanctae crucis? Tota vita Christi crux fuit et martyrium: et tu tibi quaeris requiem et gaudium? Erras erras si aliud quaeris quam pati tribulationes: quia tota ista vita mortalis plena est miseriis et circumsignata crucibus. Et quanto altius quis in spiritu profecerit tanto graviores saepe

cruces invenerit: quia exilii sui poena magis ex amore crescit.

Sed tamen iste sic multipliciter afflictus, non est sine levamine consolationis: quia fructum maximum sibi sentit accrescere ex sufferentia suae crucis. Nam dum sponte se illi subicit: omne onus tribulationis in fiduciam divinae consolationis convertitur. Et quanto caro magis per afflictionem atteritur: tanto spiritus amplius per internam gratiam roboratur. Et nonnumquam in tantum confortatur ex affectu tribulationis et adversitatis ob amorem conformitatis crucis Christi: ut se sine dolore et tribulatione esse non vellet; quoniam tanto se acceptiorem Deo credit: quanto plura et graviora pro eo perferre potuerit. Non est istud hominis virtus sed gratia Christi: quae tanta potest et agit in carne fragili; ut quod naturaliter semper abhorret et fugit: hoc fervore spiritus aggrediatur et diligat. Non est secundum hominem crucem portare, crucem amare; corpus castigare et servituti subicere: honores fugere, contumelias libenter sustinere; se ipsum despicere, et despici optare: adversa quaeque cum damnis perpeti, et nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare. Si ad te ipsum respicis: nihil huiusmodi ex te poteris. Sed si in Domino confidis, dabitur tibi

fortitudo de caelo: et subicientur dicioni tuae mundus et caro. Sed nec inimicum diabolum timebis: si fueris fide armatus et cruce Christi signatus. Pone te ergo sicut bonus et fidelis servus Christi ad portandam viriliter crucem Domini tui: pro te ex amore crucifixi. Praepara te ad toleranda multa adversa et varia incommoda in hac misera vita; quia sic tecum erit ubicumque fueris: et sic revera invenies ubicumque latueris. Oportet ita esse; et non est remedium evadendi a tribulatione malorum et dolore: quam ut te patiaris. Calicem Domini affectanter bibe: si amicus eius esse et partem cum eo habere desideras. Consolationes Deo committe: faciat ipse cum talibus sicut sibi magis placuerit. Tu vero pone te ad sustinendum tribulationes et reputa eas maximas consolationes; quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam promerendam: etiam si solus omnes posses sustinere.

Quando ad hoc veneris quod tribulatio tibi dulcis est et sapit pro Christo; tunc bene tecum esse aestima: quia invenisti paradisum in terra. Quamdiu pati grave tibi est et fugere quaeris; tamdiu male habebis: et sequetur te ubique fuga tribulationis. Si ponis te ad quod esse debes; videlicet ad patiendum et moriendum:

fiet cito melius et pacem invenies. Etiam si raptus fueris usque ad tertium caelum cum Paulo: non es propterea securatus de nullo contrario patiendo. Ego inquit Iesus ostendam illi: quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Pati ergo tibi remanet: si Iesum diligere et perpetue illi servire placet. Vtinam dignus esses aliquid pro nomine Iesu pati: quam magna gloria remaneret tibi; quanta exultatio omnibus sanctis Dei: quanta quoque aedificatio esset proximi. Nam patientiam omnes recommendant: quamvis pauci tamen pati velint. Merito deberes libenter modicum pati pro Christo: cum multi graviora patiuntur pro mundo.

Scias pro certo: quia morientem te oportet ducere vitam. Et quanto quisque plus sibi moritur: tanto magis Deo vivere incipit. Nemo aptus est ad comprehendendum caelestia: nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa. Nihil Deo acceptius nihil tibi salubrius in mundo isto: quam libenter pati pro Christo. Et si eligendum tibi esset: magis optare deberes pro Christo adversa pati quam multis consolationibus recreari; quia Christo similior esses: et omnibus sanctis magis conformior. Non enim stat meritum nostrum et profectus status nostri in multis suavitatibus et

consolationibus: sed potius in magnis gravitatibus et tribulationibus perferendis. Siquidem aliquid melius et utilius saluti hominum quam pati fuisset: Christus utique verbo et exemplo ostendisset. Nam et sequentes se discipulos, omnesque eum sequi cupientes: manifeste ad crucem portandam hortatur et dicit. Si quis vult venire post me: abneget semet ipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Omnibus ergo perlectis et scrutatis: sit haec conclusio finalis. Quoniam per multas tribulationes: oportet nos intrare in regnum Dei.

EXPLICIVNT ADMONITIONES AD INTERNA TRAHENTES.

DEVOTA EXHORTATIO AD SACRAM COMMVNIONEM

[DE IMITATIONE CHRISTI QVAE VVLGO DICITVR LIBER QVARTVS]

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI DE SACRAMENTO.

Cum quanta reverentia Christus sit suscipiendus I
Quod magna bonitas et caritas Dei in sacramento homini exhibetur II
Quod utile sit saepe communicare III
Quod multa bona praestantur devote communicantibus IIII
De dignitate sacramenti et statu sacerdotali . . . V
Interrogatio de exercitio ante communionem . . . VI
De discussione propriae conscientiae et emendationis proposito VII
De oblatione Christi in cruce et propria resignatione VIII
Quod nos et omnia nostra Deo debemus offerre et pro omnibus orare IX
Quod sacra communio de facili non est relinquenda X
Quod corpus Christi et sacra scriptura maxime sunt animae fideli necessaria XI
Quod magna diligentia se debeat communicaturus Christo praeparare XII
Quod toto corde anima devota Christi unionem in sacramento affectare debet XIII
De quorundam devotorum ardenti desiderio ad corpus Christi XIIII
Quod gratia devotionis humilitate et sui ipsius abnegatione acquiritur XV
Quod necessitates nostras Christo aperire et eius gratiam postulare debemus XVI
De ardenti amore et vehementi affectu suscipiendi Christum XVII
Quod homo non sit curiosus scrutator sacramenti, sed humilis imitator Christi subdendo sensum suum sacrae fidei XVIII

INCIPIT DEVOTA EXHORTATIO AD SACRAM COMMVNIONEM.

VOX CHRISTI.

VEnite ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos dicit Dominus. Panis quem ego dabo: caro mea est pro mundi vita. Accipite et comedite; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem: in me manet, et ego in illo. Verba quae ego locutus sum vobis: spiritus et vita sunt.

CVM QVANTA REVERENTIA CHRISTVS SIT SVSCIPIENDVS.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM I.

HAec sunt verba tua Christe Veritas aeterna; quamvis non uno tempore prolata: nec uno in loco conscripta. Quia

ergo tua sunt et vera: gratanter mihi et fideliter cuncta sunt accipienda. Tua sunt et tu ea protulisti; et mea quoque sunt: quia pro salute mea ea edidisti. Libenter suscipio ea ex ore tuo: ut artius inserantur cordi meo. Excitant me verba tantae pietatis: plena dulcedinis et dilectionis. Sed terrent me delicta propria: et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia. Provocat me dulcedo verborum tuorum: sed onerat multitudo vitiorum meorum. Iubes ut fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem; et ut immortalitatis accipiam alimoniam: si aeternam cupiam optinere vitam et gloriam. Venite inquis ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos. O dulce et amicabile verbum in aure peccatoris: quod tu Domine Deus meus egenum et pauperem invitas ad communionem tui sanctissimi corporis. Sed quis ego sum Domine; ut ad te praesumam accedere? CAELI CAELORVM Ecce caeli caelorum te non capiunt; et tu dicis venite ad me omnes? Quid sibi vult ista piissima dignatio; et tam amicabilis invitatio? Quomodo ausus ero venire; qui nihil boni mihi conscius sum unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam; qui saepius offendi benignissimam faciem tuam? Re-

verentur angeli et archangeli, metuunt sancti et iusti; et tu dicis venite ad me omnes? Nisi tu Domine hoc diceres; quis verum esse crederet? Et nisi tu iuberes; quis accedere attemptaret? Ecce Noe vir iustus in arcae fabrica centum annis laboravit ut cum paucis salvaretur; et ego quomodo me potero una hora praeparare, ut mundi fabricatorem cum reverentia sumam? Moyses famulus tuus magnus et specialis amicus tuus arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam et mundissimo vestivit auro, ut tabulas legis in ea reponeret; et ego putrida creatura audebo te conditorem legis ac vitae datorem tam facile suscipere? Salomon sapientissimus regum Israel templum magnificum septem annis in laudem nominis tui aedificavit, et octo diebus festum dedicationis eius celebravit: mille hostias pacificas optulit, et arcam foederis in clangore bucinae et iubilo in locum sibi praeparatum sollemniter collocavit; et ego infelix et pauperrimus hominum quomodo te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere devote novi horam et utinam vel semel digne fere mediam?

ANGELI

NOE

MOYSES

SALOMON

O mi Deus quantum illi ad placendum tibi agere studuerunt. Heu quam pusillum est quod ago: quam breve expleo

tempus, cum me ad communicandum dispono. Raro totus collectus: rarissime ab omni distractione purgatus. Et certe in tua salutari Deitatis praesentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio; nulla etiam occupare creatura: quia non angelum, sed angelorum dominum suscepturus sum hospitio. Est tamen valde magna distantia inter arcam foederis cum suis reliquiis, et mundissimum corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus; inter legalia illa sacrificia futurorum praefigurativa: et veram corporis tui hostiam omnium antiquorum sacrificiorum completivam. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardesco praesentiam, cur non maiori me praeparo sollicitudine ad tua sancta sumenda; quando illi antiqui sancti patriarchae et prophetae, reges quoque et principes cum universo populo, tantum devotionis demonstrarunt affectum erga cultum divinum?

DAVID Saltavit devotissimus rex David coram arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta patribus: fecit diversi generis organa; psalmos edidit, et cantari instituit cum laetitia: cecinit et ipse frequenter in cithara, Spiritus sancti afflatus gratia; docuit populum Israel toto corde Deum laudare: et ore consono diebus singulis benedicere et praedicare. Si tanta agebatur

tunc devotio ac divinae laudis extitit recordatio, coram arca testamenti; quanta nunc mihi et omni populo christiano habenda est reverentia et devotio in praesentia sacramenti, in sumptione excellentissimi corporis Christi?

Currunt multi ad diversa loca pro visitandis reliquiis sanctorum: et mirantur auditis gestis eorum ampla aedificia templorum; inspiciunt et osculantur sericis et auro involuta sacra ossa ipsorum: et ecce tu praesens es hic apud me in altari Deus meus sanctus sanctorum creator hominum et dominus angelorum. Saepe in talibus videndis curiositas est hominum et novitas invisorum; et modicus reportatur emendationis fructus: maxime ubi est tam levis sine vera contritione discursus. Hic autem in sacramento altaris totus praesens es Deus meus homo Christus Iesus; ubi et copiosus percipitur aeternae salutis fructus: quotienscumque fueris digne ac devote susceptus. Ad istud vero non trahit levitas aliqua nec curiositas aut sensualitas: sed firma fides devota spes et sincera caritas.

O invisibilis conditor mundi Deus, quam mirabiliter agis nobiscum; quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis: quibus temet ipsum in sacramento sumendum proponis. Hoc namque omnem in-

tellectum superat: hoc specialiter devotorum corda trahit et accendit affectum. Ipsi enim veri fideles tui, qui totam vitam suam ad emendationem disponunt: ex hoc dignissimo sacramento magnam devotionis gratiam et virtutis amorem frequenter recipiunt.

O admirabilis et abscondita gratia sacramenti; quam norunt tantum Christi fideles: infideles autem et peccatis servientes experiri non possunt. In hoc sacramento confertur spiritualis gratia; et reparatur in anima virtus amissa: et per peccatum deformata redit pulchritudo. Tanta est aliquando haec gratia: ut ex plenitudine collatae devotionis non tantum mens sed et debile corpus vires sibi praestitas sentiat ampliores.

Dolendum tamen valde et miserandum super tepiditate et neglegentia nostra; quod non maiori affectione trahimur ad Christum sumendum: in quo tota spes salvandorum consistit et meritum. Ipse enim est sanctificatio nostra et redemptio: ipse consolatio viatorum et sanctorum aeterna fruitio. Dolendum itaque valde quod multi tam parum hoc salutare mysterium advertunt: quod caelum laetificat, et mundum conservat universum. Heu caecitas et duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere:

et ex cotidiano usu etiam ad inadvertentiam defluere. Si enim hoc sanctissimum sacramentum in uno tantum celebraretur loco, et ab uno tantum consecraretur sacerdote in mundo; quanto putas desiderio ad illum locum et ad talem Dei sacerdotem homines afficerentur: ut divina mysteria celebrari viderent. Nunc autem multi facti sunt sacerdotes, et in multis locis offertur Christus; ut tanto maior appareat gratia et dilectio Dei ad hominem: quanto latius est sacra communio diffusa per orbem. Gratias tibi Iesu bone pastor aeterne; qui nos pauperes et exules dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere: et ad haec mysteria percipienda etiam proprii oris tui alloquio invitare dicendo. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos.

QVOD MAGNA BONITAS ET CARITAS DEI IN SACRAMENTO HOMINI EXHIBETVR.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM II.

SVper bonitate tua et magna misericordia tua Domine confisus, accedo aeger ad Salvatorem: esuriens et sitiens

ad fontem vitae, egenus ad regem caeli; servus ad dominum, creatura ad creatorem: desolatus ad meum pium consolatorem. Sed unde hoc mihi; ut venias ad me? Quis ego sum, ut praestes mihi te ipsum? Quomodo audet peccator coram te apparere; et tu quomodo dignaris ad peccatorem venire? Tu nosti servum tuum: et scis quia nil boni in se habet, unde hoc illi praestes. Confiteor igitur vilitatem meam; agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem: et gratias ago propter nimiam caritatem. Propter temet ipsum enim hoc facis, non propter mea merita; ut bonitas tua mihi magis innotescat, caritas amplior ingeratur: et humilitas perfectius commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, et tu sic fieri iussisti; placet et mihi dignatio tua: et utinam iniquitas mea non obsistat. O dulcissime et benignissime Iesu quanta tibi reverentia et gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri corporis tui debetur: cuius dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur. Sed quid cogitabo in hac communione in accessu ad Dominum meum quem debite venerari nequeo; et tamen devote suscipere desidero? Quid cogitabo melius et salubrius; nisi me ipsum totaliter humiliando coram te, et tuam infinitam bonitatem exaltando

supra me? Laudo te Deus meus et exalto in aeternum: despicio me et subicio tibi in profundum vilitatis meae. Ecce tu sanctus sanctorum: et ego sordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad me: qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me: tu vis esse mecum, tu invitas ad convivium tuum. Tu mihi dare vis caelestem cibum: et panem angelorum ad manducandum. Non alium sane quam te ipsum panem vivum qui de caelo descendisti: et das vitam mundo. Ecce unde dilectio procedit; qualis dignatio illucescit: quam magnae gratiarum actiones et laudes tibi pro his debentur. O quam salutare et utile consilium tuum cum istud instituisti; quam suave et iucundum convivium: cum te ipsum in cibum donasti. O quam admirabilis operatio tua Domine; quam potens virtus tua: quam infallibilis veritas tua. Dixisti enim et facta sunt omnia: et hoc factum est quod ipse iussisti. Mira res et fide digna, ac humanum vincens intellectum; quod tu Domine Deus meus, verus Deus et homo sub modica specie panis et vini integer contineris: et sine consumptione a sumente manducaris. Tu Domine universorum qui nullius habes indigentiam voluisti per sacramentum tuum habitare in nobis: conserva cor meum et corpus immacula-

tum; ut laeta et pura conscientia saepius tua valeam celebrare mysteria et ad meam perpetuam accipere salutem: quae ad tuum praecipue honorem et memoriale perenne sanxisti et instituisti.

Laetare anima mea et gratias age Deo pro tam nobili munere et solacio singulari: in hac lacrimarum valle tibi relicto. Nam quotiens hoc mysterium recolis et Christi corpus accipis; totiens tuae redemptionis opus agis: et particeps omnium meritorum Christi efficeris. Caritas etenim Christi numquam minuitur: et magnitudo propitiationis eius numquam exhauritur. Ideo nova semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes: et magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare. Ita magnum novum et iucundum tibi videri debet, cum celebras aut missam audis; ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo factus esset: aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur et moreretur.

QVOD VTILE SIT SAEPE COMMVNICARE.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM III.

ECce ego ad te venio Domine; ut bene mihi sit ex munere tuo, et laetificer in convivio sancto tuo: quod

parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Ecce in te est totum quod desiderare possum et debeo; tu salus mea et redemptio: spes et fortitudo, decus et gloria. Laetifica ergo hodie animam servi tui: quoniam ad te Domine Iesu animam meam levavi. Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere; cupio te in domum meam inducere; quatenus cum Zachaeo merear a te benedici: ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit: cor meum tecum uniri desiderat. Trade te mihi et sufficit: nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo: et sine visitatione tua vivere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere: et in remedium salutis meae recipere; ne forte deficiam in via: si fuero caelesti fraudatus alimonia. Sic enim tu misericordissime Iesu praedicans populis et varios curans languores: aliquando dixisti. Nolo eos ieiunos dimittere in domum suam: ne deficiant in via. Age igitur hoc mecum modo: qui te pro fidelium consolatione in sacramento reliquisti. Tu es enim suavis refectio animae; et qui te digne manducaverit: particeps et heres erit aeternae gloriae. Necessarium quidem mihi est qui tam saepe labor et pecco, tam cito torpesco et deficio; ut per fre-

quentes orationes et confessiones ac sacram corporis tui perceptionem me renovem mundem et accendam: ne forte diutius abstinendo a sancto proposito defluam. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adulescentia sua; et nisi succurrat divina medicina: labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo sancta communio a malo: et confortat in bono. Si enim modo tam saepe neglegens sum et tepidus quando communico aut celebro; quid fieret si medelam non sumerem et tam grande iuvamen non quaererem? Et licet omni die non sim aptus nec ad celebrandum bene dispositus; dabo tamen operam congruis temporibus divina percipere mysteria, ac tantae gratiae participem me praebere. Nam haec est una principalis fidelis animae consolatio quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore: ut saepius memor Dei sui, dilectum suum devota suscipiat mente.

O mira circa nos tuae pietatis dignatio; quod tu Domine Deus creator et vivificator omnium spirituum, ad pauperculam dignaris venire animam: et cum tota divinitate tua ac humanitate eius impinguare esuriem. O felix mens et beata anima; quae te Dominum Deum suum meretur devote suscipere: et in tua susceptione spiritali gaudio repleri. O quam

magnum suscipit dominum; quam dilectum inducit hospitem, quam iucundum recipit socium: quam fidelem acceptat amicum; quam speciosum et nobilem amplectitur sponsum: prae omnibus dilectis et super omnia desiderabilia amandum. Sileant a facie tua dulcissime dilecte meus caelum et terra et omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuae est largitatis: nec ad decorem tui pervenient nominis, cuius sapientiae non est numerus.

QVOD MVLTA BONA PRAESTANTVR DEVOTE COMMVNICANTIBVS.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM IIII.

DOmine Deus meus praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae: ut ad tuum magnificum sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te: et a gravi torpore exue me. Visita me in salutari tuo ad gustandam in spiritu suavitatem tuam: quae in hoc sacramento tamquam in fonte plenarie latet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium: et ad credendum illud indubitata fide me robora. Est enim

operatio tua: non humana potentia; tua sacra institutio: non hominis adinventio. Non enim ad haec capienda et intellegenda aliquis idoneus per se reperitur: quae angelicam etiam subtilitatem transcendunt. Quid ergo ego peccator indignus terra et cinis; de tam alto sacro secreto potero investigare et capere? Domine in simplicitate cordis mei in bona firma fide et in tua iussione ad te cum spe ac reverentia accedo; et vere credo: quia tu praesens es hic in sacramento Deus et homo. Vis ergo ut te suscipiam: et me ipsum tibi in caritate uniam. Vnde tuam precor clementiam, et specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam; ut totus in te liquefiam et amore pereffluam: atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam. Est enim hoc altissimum et dignissimum sacramentum, salus animae et corporis; medicina omnis spiritalis languoris: in quo vitia mea curantur, passiones frenantur; temptationes vincuntur, aut minuuntur: gratia maior infunditur, virtus incepta augetur; firmatur fides, spes roboratur: et caritas ignescit ac dilatatur.

Multa namque bona largitus es et adhuc saepius largiris in sacramento dilectis tuis devote communicantibus Deus meus, susceptor animae meae: reparator infirmitatis humanae, et totius dator consola-

tionis internae. Nam multam ipsis consolationem adversus variam tribulationem infundis; et de imo deiectionis propriae ad spem tuae protectionis erigis: atque nova quadam gratia eos intus recreas et illustras; ut qui anxii primum et sine affectione se ante communionem senserant: postea refecti cibo potuque caelesti, in melius se mutatos inveniant. Quod idcirco cum electis tuis dispensanter agis: ut veraciter agnoscant et patenter experiantur quantum infirmitatis ex se ipsis habeant, et quid bonitatis ac gratiae ex te consequantur; quia ex semet ipsis frigidi duri et indevoti: ex te autem ferventes alacres et devoti esse merentur. Quis enim ad fontem suavitatis humiliter accedens; non modicum suavitatis inde reportat? Aut quis iuxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percipit? Et tu fons es semper plenus et superabundans: ignis iugiter ardens, et numquam deficiens. Vnde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis nec usque ad satietatem potare: apponam tamen os meum ad foramen caelestis fistulae; ut saltem modicam inde guttulam capiam ad refocillandam sitim meam: et non penitus exarescam. Et si necdum totus caelestis et tam ignitus ut Cherubin et Seraphin esse possum; conabor tamen devotioni

insistere et cor meum praeparare: ut vel modicam divini incendii flammam ex humili sumptione vivifici sacramenti conquiram. Quidquid autem mihi deest Iesu bone Salvator sanctissime; tu pro me supple benigne ac gratiose: qui omnes ad te dignatus es vocare dicens. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos. Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor: peccatis oneror, temptationibus inquietor; multis malis passionibus implicor et premor: et non est qui adiuvet, non est qui liberet et salvum faciat, nisi tu Domine Deus Salvator meus; cui committo me et omnia mea: ut me custodias et perducas in vitam aeternam. Suscipe me in laudem et gloriam nominis tui: qui corpus tuum et sanguinem in cibum et potum mihi parasti. Praesta Domine Deus salutaris meus: ut cum frequentatione mysterii tui crescat meae devotionis affectus.

DE DIGNITATE SACRAMENTI ET STATV SACERDOTALI.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM V.

SI haberes angelicam puritatem et sancti Iohannis baptistae sanctitatem: non esses dignus hoc sacramentum accipere nec tractare. Non enim hoc

meritis debetur hominum, quod homo consecret et tractet Christi sacramentum: et sumat in cibum panem angelorum. Grande ministerium, et magna dignitas sacerdotum: quibus datum est quod angelis non est concessum. Soli namque sacerdotes rite in ecclesia ordinati: potestatem habent celebrandi et corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est Dei: utens verbo Dei per iussionem et institutionem Dei. Deus autem ibi principalis est auctor et invisibilis operator; cui subest omne quod voluerit: et paret omne quod iusserit. Plus ergo credere debes Deo omnipotenti in hoc excellentissimo sacramento: quam proprio sensui aut alicui signo visibili. Ideoque cum timore et reverentia: ad hoc opus est accedendum. Attende tibi: et vide cuius ministerium tibi traditum est per impositionem manus episcopi. Ecce sacerdos factus es: et ad celebrandum consecratus. Vide nunc ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras: et te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum; sed artiori iam alligatus es vinculo disciplinae: et ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus: et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popu-

laribus et communibus hominum viis: sed cum angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra. Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit: ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. Habet ante se et retro dominicae crucis signum: ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat: ut Christi vestigia diligenter inspiciat et sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est: ut adversa quaelibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit: ut propria peccata lugeat, post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat: et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat; nec ab oratione et oblatione sancta torpescat: donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur. Quando sacerdos celebrat Deum honorat: angelos laetificat, ecclesiam aedificat; vivos adiuvat, defunctis requiem praestat: et sese omnium bonorum participem efficit.

INTERROGATIO DE EXERCITIO ANTE COMMVNIONEM.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM VI.

CVm tuam dignitatem Domine et meam vilitatem penso: valde contremisco et in me ipso confundor. Si enim

non accedo, vitam fugio; et si indigne me ingessero: offensam incurro. Quid ergo faciam Deus meus; auxiliator meus et consiliator in necessitatibus? Tu doce me viam rectam; propone breve aliquod exercitium: sacrae communioni congruum. Vtile est enim scire, qualiter scilicet devote ac reverenter tibi praeparare debeam cor meum, ad recipiendum salubriter tuum sacramentum: seu etiam celebrandum tam magnum et divinum sacrificium.

DE DISCVSSIONE PROPRIAE CONSCIENTIAE ET EMENDATIONIS PROPOSITO.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM VII.

SVper omnia cum summa humilitate cordis et supplici reverentia, cum plena fide et pia intentione honoris Dei: ad hoc sacramentum celebrandum tractandum, et sumendum oportet Dei accedere sacerdotem. Diligenter examina conscientiam tuam: et pro posse tuo vera contritione et humili confessione eam munda et clarifica; ita ut nil grave habeas aut scias quod te remordeat: et liberum accessum impediat. Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali: et pro cotidianis excessibus magis in

speciali doleas et gemas. Et si tempus patitur: Deo in secreto cordis cunctas confitere passionum tuarum miserias. Ingemisce et dole quod adhuc ita carnalis sis et mundanus; tam immortificatus a passionibus: tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus; tam saepe multis vanis phantasiis implicatus: tam multum inclinatus ad exteriora, tam neglegens ad interiora; tam levis ad risum et dissolutionem: tam durus ad fletum et compunctionem; tam promptus ad laxiora et carnis commoda: tam segnis ad rigorem et fervorem; tam curiosus ad nova audienda et pulchra intuenda: tam remissus ad humilia et abiecta amplectenda; tam cupidus ad multa habenda: tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum; tam inconsideratus in loquendo: tam incontinens in tacendo; tam incompositus in moribus tam importunus in actibus: tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei verbum; tam velox ad quietem tam tardus ad laborem: tam vigilans ad fabulas, tam somnolentus ad vigilias sacras; tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum: tam neglegens in horis persolvendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando; tam cito distractus, tam raro plene tibi collectus: tam subito commotus ad iram,

tam facilis ad alterius displicentiam; tam pronus ad iudicandum, tam rigidus ad arguendum: tam laetus ad prospera, tam debilis in adversis; tam saepe multa bona proponens: et modicum ad effectum perducens. His et aliis defectibus tuis cum dolore et magna displicentia propriae infirmitatis confessis ac deploratis; firmum statue propositum semper emendandi vitam tuam: et in melius proficiendi. Deinde cum plena resignatione et integra voluntate offer te ipsum in honorem nominis mei in ara cordis tui holocaustum perpetuum: corpus tuum scilicet et animam mihi fideliter committendo; quatenus et sic digne merearis ad offerendum Deo sacrificium accedere: et sacramentum corporis mei salubriter suscipere.

Non est enim oblatio dignior et satisfactio maior pro peccatis diluendis: quam se ipsum pure et integre cum oblatione corporis Christi in missa et in communione Deo offerre. Si fecerit homo quod in se est, et vere paenituerit; quotienscumque pro venia et gratia ad me accesserit: vivo ego dicit Dominus qui nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat; quoniam peccatorum suorum non recordabor amplius: sed cuncta sibi indulta erunt.

DE OBLATIONE CHRISTI IN CRVCE ET PROPRIA RESIGNATIONE.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM VIII.

SIcut ego me ipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri sponte optuli; ita ut nihil in me remaneret quin totum in sacrificium divinae placationis transiret: ita debes et tu temet ipsum mihi voluntarie in oblationem puram et sanctam cotidie in missa cum omnibus viribus et affectibus tuis quanto intimius vales offerre. Quid magis a te requiro; quam ut te studeas mihi ex integro resignare? Quidquid praeter te ipsum das nihil curo: quia non quaero datum tuum sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis praeter me: ita nec mihi placere poterit quidquid dederis te non oblato. Offer te mihi et da te totum pro Deo: et erit accepta oblatio. Ecce ego me totum optuli Patri pro te: dedi etiam totum corpus meum et sanguinem in cibum; ut totus tuus essem: et tu meus permaneres. Si autem in te ipso steteris nec sponte te ad voluntatem meam optuleris; non est plena oblatio: nec integra erit inter nos unio. Igitur omnia opera tua praecedere debet

spontanea tui ipsius in manus Dei oblatio: si libertatem consequi vis et gratiam. Ideo enim tam pauci illuminati et liberi intus efficiuntur: quia se ipsos ex toto abnegare nesciunt. Est firma sententia mea; nisi quis renuntiaverit omnibus: non potest meus esse discipulus. Tu ergo si optas meus esse discipulus: offer te ipsum mihi cum omnibus affectibus tuis.

QVOD NOS ET OMNIA NOSTRA DEO DEBEMVS OFFERRE ET PRO OMNIBVS ORARE.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM IX.

DOmine, omnia tua sunt: quae in caelo sunt et quae in terra. Desidero me ipsum tibi in spontaneam oblationem offerre: et tuus perpetue permanere. Domine in simplicitate cordis mei offero me ipsum tibi hodie in servum sempiternum: in obsequium et in sacrificium laudis perpetuae. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis; quam tibi hodie in praesentia angelorum invisibiliter assistentium offero: ut sit pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

Domine offero tibi omnia peccata et delicta mea quae commisi coram te et

sanctis angelis tuis a die quo primum peccare potui usque ad horam hanc super placabili altari tuo: ut tu omnia pariter incendas et comburas igne caritatis tuae, et deleas universas maculas peccatorum meorum et conscientiam meam ab omni delicto emundes; et restituas mihi gratiam tuam quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo: et in osculum pacis me misericorditer assumendo. Quid possum agere pro peccatis meis nisi humiliter ea confitendo et lamentando; et tuam propitiationem incessanter deprecando? Deprecor te exaudi me propitius: ubi asto coram te Deus meus. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea umquam amplius perpetrare; sed pro eis doleo et dolebo quamdiu vixero: paratus paenitentiam agere, et pro posse satisfacere. Dimitte mihi Deus dimitte mihi peccata mea propter nomen sanctum tuum: salva animam meam quam pretioso sanguine tuo redemisti. Ecce committo me misericordiae tuae; resigno me manibus tuis: age mecum secundum bonitatem tuam non secundum meam malitiam et iniquitatem.

Offero etiam tibi omnia bona mea quamvis valde pauca et imperfecta; ut tu ea emendes et sanctifices: ut ea grata habeas et accepta tibi facias; et semper ad meliora

trahas: nec non ad beatum ac laudabilem finem me pigrum et inutilem homuncionem perducas.

Offero quoque tibi omnia pia desideria devotorum; necessitates parentum, amicorum fratrum, sororum omniumque carorum meorum, et eorum qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt: et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt; sive in carne adhuc vivant sive iam saeculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiae tuae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant; et ut ab omnibus malis erepti: gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter qui me in aliquo laeserunt contristaverunt aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus quos aliquando contristavi conturbavi gravavi et scandalizavi verbis factis scienter vel ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones. Aufer Domine a cordibus nostris omnem suspicionem indignationem iram et disceptationem; et quidquid potest caritatem laedere: et fraternam dilectionem minuere. Miserere miserere Domine, mi-

sericordiam tuam poscentibus, da gratiam indigentibus; et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui: et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

QVOD SACRA COMMVNIO DE FACILI NON EST RELINQVENDA.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM X.

FRequenter recurrendum est ad fontem gratiae, et divinae misericordiae: ad fontem bonitatis et totius puritatis; quatenus a passionibus tuis et vitiis curari valeas: et contra universas temptationes et fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Inimicus sciens fructum et remedium maximum in sacra communione positum: omni modo et occasione nititur fideles et devotos quantum praevalet retrahere et impedire. Cum enim quidam sacrae communioni se aptare disponunt: peiores satanae immissiones patiuntur. Ipse nequam spiritus, ut in Iob scribitur venit inter filios Dei: ut solita illos nequitia sua perturbet aut timidos nimium reddat et perplexos; quatinus affectum eorum minuat vel fidem impugnando auferat: si forte aut omnino communionem re-

linquant, aut cum tepore accedant. Sed non est quicquam curandum de versutiis et phantasiis illius quantumlibet turpibus et horridis: sed cuncta phantasmata in caput eius sunt retorquenda. Contemnendus est miser et deridendus; nec propter insultus eius et commotiones quas suscitat: sacra est omittenda communio. Saepe etiam impedit nimia sollicitudo pro devotione habenda: et anxietas quaedam de confessione facienda. Age secundum consilium sapientum, et depone anxietatem et scrupulum; quia gratiam Dei impedit: et devotionem mentis destruit. Propter aliquam parvam turbationem vel gravitatem, sacram ne dimittas communionem; sed vade citius confiteri: et omnes offensiones aliis libenter indulge. Si vero tu aliquem offendisti; veniam humiliter precare: et Deus libenter indulgebit tibi.

Quid prodest diu tardare confessionem; aut sacram differre communionem? Expurga te cumprimis: expue velociter venenum. Festina accipere remedium: et senties melius quam si diu distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan aliud maius eveniet; et sic diu posses a communione impediri: et magis ineptus fieri. Quanto citius vales a praesenti gravitate et inertia te excutias; quia nihil importat diu anxiari diu cum turbatione

transire: et ob cotidiana obstacula se a divinis sequestrare. Immo plurimum nocet diu communionem protelare: nam et gravem torporem consuevit inducere. Pro dolor quidam tepidi et dissoluti moras confitendi libenter accipiunt; et communionem sacram idcirco differri cupiunt: ne ad maiorem sui custodiam se dare teneantur. Heu quam modicam caritatem et debilem devotionem habent: qui sacram communionem tam faciliter postponunt. Quam felix ille et Deo acceptus habetur: qui sic vivit et in tali puritate conscientiam suam custodit; ut etiam omni die communicare paratus et bene affectatus esset: si ei liceret, et sine nota agere posset. Si quis interdum abstinet humilitatis gratia aut legitima impediente causa: laudandus est de reverentia. Si autem torpor obrepserit; se ipsum excitare debet et facere quod in se est: et Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate quam specialiter respicit. Cum vero legitime praepeditus est, habebit semper bonam voluntatem et piam intentionem communicandi: et sic non carebit fructu sacramenti. Potest enim quilibet devotus omni die et omni hora ad spiritualem Christi communionem salubriter et sine prohibitione accedere: et tamen certis diebus et statuto tempore corpus sui Redemptoris cum affectuosa reverentia

sacramentaliter debet suscipere; et magis laudem Dei et honorem praetendere, quam suam consolationem quaerere. Nam totiens mystice communicat et invisibiliter reficitur; quotiens incarnationis Christi mysterium passionemque devote recolit: et in amore eius accenditur. Qui aliter se non praeparat, nisi instante festo vel consuetudine compellente: saepius inparatus erit. Beatus qui se Domino in holocaustum offert: quotiens celebrat aut communicat. Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus: sed serva bonum communem modum cum quibus vivis. Non debes aliis generare molestiam et taedium; sed communem servare viam secundum maiorum institutionem: et potius aliorum servire utilitati quam propriae devotioni vel affectui.

QVOD CORPVS CHRISTI ET SACRA SCRIPTVRA MAXIME SINT ANIMAE FIDELI NECESSARIA.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM XI.

dulcissime Domine Iesu quanta est dulcedo devotae animae tecum epulantis in convivio tuo; ubi ei non alius cibus manducandus proponitur: nisi

tu unicus dilectus eius, super omnia desideria cordis eius desiderabilis. Et mihi quidem dulce foret in praesentia tua ex intimo affectu lacrimas fundere: et cum pia Magdalena pedes tuos lacrimis irrigare. Sed ubi est haec devotio; ubi lacrimarum sanctarum copiosa effusio? Certe in conspectu tuo, et sanctorum angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet: et ex gaudio flere. Habeo enim te in sacramento vere praesentem: quamvis aliena specie occultatum. Nam in propria et divina claritate te conspicere, oculi mei ferre non possent: sed neque totus mundus in fulgore gloriae maiestatis tuae subsisteret. In hoc ergo imbecillitati meae consulis: quod te sub sacramento abscondis. Habeo vere et adoro quem angeli adorant in caelo; sed ego adhuc interim in fide: illi autem in specie et sine velamine. Me oportet contentum esse in lumine verae fidei, et in ea ambulare donec aspiret dies aeternae claritatis: et umbrae figurarum inclinentur. Cum autem venerit quod perfectum est, cessabit usus sacramentorum; quia beati in gloria caelesti, non egent medicamine sacramentali: gaudent enim sine fine in praesentia Dei, facie ad faciem gloriam eius speculantes; et de claritate in claritatem abyssalis Deitatis transformati:

gustant Verbum Dei caro factum sicut fuit ab initio et manet in aeternum. Memor horum mirabilium, grave mihi fit taedium etiam quodlibet spirituale solacium; quia quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video: pro nihili duco omne quod in mundo conspicio et audio. Testis es tu mihi Deus; quod nulla res me potest consolari, nulla creatura quietare: nisi tu Deus meus quem desidero aeternaliter contemplari. Sed non est hoc possibile durante me in hac mortalitate; ideo oportet ut me ponam ad magnam patientiam: et me ipsum in omni desiderio tibi submittam. Nam et sancti tui Domine qui tecum iam in regno caelorum exultant: in fide et patientia magna dum viverent adventum gloriae tuae expectabant. Quod illi crediderunt ego credo; quod illi speraverunt ego spero: quo illi pervenerunt, per gratiam tuam me venturum confido. Ambulabo interim in fide exemplis confortatus sanctorum; habebo etiam libros sanctos pro solacio et vitae speculo: atque super haec omnia sanctissimum corpus tuum pro singulari remedio et refugio.

Duo namque mihi necessaria permaxime sentio in hac vita: sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis huius detentus, duobus me egere fateor: cibo scilicet et lumine.

Dedisti itaque mihi infirmo sacrum corpus tuum ad refectionem mentis et corporis: et posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non possem; nam verbum Dei lux animae meae: et sacramentum tuum panis vitae. Haec possunt etiam dici mensae duae hinc et inde: in gazophylacio sanctae ecclesiae positae. Vna mensa est sacri altaris habens panem sanctum id est corpus Christi pretiosum; altera est divinae legis continens doctrinam sanctam: erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis ubi sunt sancta sanctorum perducens.

Gratias tibi Domine Iesu lux lucis aeternae, pro doctrinae sacrae mensa: quam nobis per servos tuos prophetas et apostolos, aliosque doctores ministrasti. Gratias tibi Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo caritatem tuam cenam parasti magnam; in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum corpus et sanguinem proposuisti manducandum: laetificans omnes fideles convivio sacro, et calice inebrians salutari; in quo sunt omnes deliciae paradisi: et epulantur nobiscum angeli sancti, sed suavitate feliciori.

O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum: quibus datum est

Dominum maiestatis verbis sacris consecrare; labiis benedicere, manibus tenere: ore proprio sumere, et ceteris ministrare. O quam mundae debent esse manus illae, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit sacerdotis: ad quem totiens ingreditur auctor puritatis. Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum: qui tam saepe Christi accipit sacramentum. Oculi eius simplices et pudici: qui Christi corpus solent intueri. Manus purae et in caelum elevatae: quae Creatorem caeli et terrae solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur. Sancti estote: quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Adiuvet nos gratia tua omnipotens Deus; ut qui officium sacerdotale suscepimus: digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari ut debemus; concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus: et in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius de cetero deservire.

QVOD MAGNA DILIGENTIA SE DEBEAT COMMVNICATVRVS CHRISTO PRAEPARARE.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM XII.

EGo sum puritatis amator: et dator omnis sanctitatis. Ego cor purum quaero: et ibi est locus requietionis meae. Para mihi cenaculum grande stratum: et faciam apud te pascha cum discipulis meis. Si vis ut veniam ad te, et apud te maneam, expurga vetus fermentum: et munda cordis tui habitaculum. Exclude totum saeculum et omnem vitiorum tumultum; sede tamquam passer solitarius in tecto: et cogita excessus tuos in amaritudine animae tuae. Omnis namque amans, suo dilecto amatori optimum et pulcherrimum praeparat locum: quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum. Scito tamen te non posse satisfacere huic praeparationi ex merito tuae actionis: etiam si per integrum annum te praeparares et nihil aliud in mente haberes. Sed ex sola pietate et gratia mea permitteris ad mensam meam accedere; ac si mendicus ad prandium vocaretur divitis, et ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis eius: nisi se humiliando et ei regratiando.

Fac quod in te est et diligenter facito; non ex consuetudine non ex necessitate: sed cum timore et reverentia, et affectu accipe corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire. Ego sum qui vocavi, ego iussi fieri; ego supplebo quod tibi deest: veni et suscipe me. Cum gratiam devotionis tribuo gratias age Deo tuo; non quia dignus es: sed quia tui misertus sum. Si non habes sed magis aridum te sentis; insiste orationi, ingemisce et pulsa: nec desistas donec merearis micam aut guttam gratiae salutaris accipere. Tu mei indiges: non ego tui indigeo. Nec tu me sanctificare venis: sed ego te sanctificare et meliorare venio. Tu venis ut ex me sanctificeris et mihi uniaris; ut novam gratiam recipias: et de novo ad emendationem accendaris. Noli neglegere hanc gratiam; sed praepara cum omni diligentia cor tuum: et introduc ad te dilectum tuum. Oportet autem ut non solum te praepares ad devotionem ante communionem: sed ut etiam te sollicite conserves in ea post sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota praeparatio prius. Nam bona postmodum custodia: optima iterum est praeparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispositus quis redditur: si statim

fuerit nimis effusus ad exteriora solacia. Cave a multiloquio; mane in secreto: et fruere Deo tuo. Ipsum enim habes: quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum, cui te totum dare debes; ita ut iam ultra non in te: sed in me absque omni sollicitudine vivas.

QVOD TOTO CORDE ANIMA DEVOTA CHRISTI VNIONEM IN SACRAMENTO AFFECTARE DEBET.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM XIII.

QVis mihi det Domine, ut inveniam te solum et aperiam tibi totum cor meum; et fruar te sicut desiderat anima mea: et iam me nemo despiciat, nec ulla creatura me moveat vel respiciat; sed tu solus mihi loquaris et ego tibi: sicut solet dilectus ad dilectum loqui, et amicus cum amico convivari. Hoc oro hoc desidero; ut tibi totus uniar, et cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham: magisque per sacram communionem ac frequentem celebrationem caelestia et aeterna sapere discam. Ah Domine Deus, quando ero tecum totus unitus et absorptus: meique totaliter oblitus. Tu in me et ego in te: et sic nos

pariter in unum manere concede. Vere tu es dilectus meus electus ex milibus: in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae. Vere tu pacificus meus; in quo pax summa et requies vera: extra quem labor et dolor et infinita miseria. Vere tu es Deus absconditus; et consilium tuum non est cum impiis: sed cum humilibus et simplicibus sermo tuus. O quam suavis est Domine spiritus tuus; qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares: pane suavissimo de caelo descendente illos reficere dignaris. Vere non est alia natio tam grandis quae habeat Deos appropinquantes sibi: sicut tu Deus noster ades universis fidelibus tuis; quibus ob cotidianum solacium et cor erigendum in caelum: te tribuis ad edendum et fruendum. Quae est enim alia gens tam inclita sicut plebs christiana; aut quae creatura sub caelo tam dilecta ut anima devota; ad quam ingreditur Deus ut pascat eam carne sua gloriosa? O ineffabilis gratia; o admirabilis dignatio: o amor immensus homini singulariter impensus. Sed quid retribuam Domino pro gratia ista; pro caritate tam eximia? Non est aliud quod gratius donare queam: quam ut cor meum Deo meo totaliter tribuam, et intime coniungam. Tunc exultabunt omnia interiora

mea: cum perfecte fuerit unita Deo anima mea. Tunc dicet mihi. Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi. Dignare Domine manere mecum: ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum: ut cor meum tibi sit unitum.

DE QVORVNDAM DEVOTORVM ARDENTI DESIDERIO AD CORPVS CHRISTI.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM XIIII.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine: quam abscondisti timentibus te. Quando recordor devotorum aliquorum ad sacramentum tuum Domine cum maxima devotione et affectu accedentium: tunc saepius in me ipso confundor et erubesco, quod ad altare tuum et sacrae communionis mensam tam tepide et frigide accedo; quod ita aridus et sine affectione cordis maneo: quod non sum totaliter accensus coram te Deo meo, nec ita vehementer attractus et affectus sicut multi devoti fuerunt; qui prae nimio desiderio communionis et sensibili cordis amore a fletu se non potuerunt continere: sed ore cordis et corporis

pariter ad te Deum fontem vivum medullitus inhiabant; suam esuriem non valentes aliter temperare nec satiare: nisi corpus tuum cum omni iucunditate et spirituali aviditate accepissent. O vera ardens fides eorum: probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae. Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis: quorum cor tam valide ardet in eis de Iesu ambulante cum eis. Longe est a me saepe talis affectus et devotio: tam vehemens amor et ardor. Esto mihi propitius Iesu bone dulcis et benigne: et concede pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire; ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat: et caritas semel perfecte accensa et caeleste manna experta numquam deficiat. Potens est autem misericordia tua etiam gratiam desideratam mihi praestare: et in spiritu ardoris cum dies beneplaciti tui venerit me clementissime visitare. Etenim licet tanto desiderio tam specialium devotorum tuorum non ardeo; tamen de gratia tua illius magni inflammati desiderii desiderium habeo: orans et desiderans omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

QVOD GRATIA DEVOTIONIS HVMILITATE ET SVI IPSIVS ABNEGATIONE ACQVIRITVR.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM XV.

Portet te devotionis gratiam instanter quaerere, desideranter petere patienter et fiducialiter expectare; gratanter recipere, humiliter conservare, studiose cum ea operari: ac Deo terminum et modum supernae visitationis donec veniat committere. Humiliare praecipue te debes cum parum aut nihil devotionis interius sentis: sed non nimium deici, nec inordinate contristari. Dat saepe Deus in uno brevi momento: quod longo negavit tempore. Dat quandoque in fine: quod in principio orationis distulit dare. Si semper cito gratia daretur, et pro voto adesset: non esset infirmo homini bene portabile. Propterea in bona spe et humili patientia: expectanda est devotionis gratia. Tibi tamen et peccatis tuis imputa: cum non datur vel etiam occulte tollitur. Modicum quandoque est quod gratiam impedit et abscondit; si tamen modicum et non potius grande dici debeat: quod tantum bonum prohibet. Et si hoc ipsum modicum vel grande amoveris et

perfecte viceris: erit quod petisti. Statim namque ut te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quaesieris, sed integre te in ipso posueris: unitum te invenies et pacatum; quia nil ita bene sapiet et placebit: sicut beneplacitum divinae voluntatis. Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit; seque ab omni inordinato amore seu dis-plicentia cuiuslibet rei creatae evacuaverit: aptissimus gratiae percipiendae ac dignus devotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam: ubi vasa vacua invenerit. Et quanto perfectius infimis quis renuntiat, et magis sibi ipsi per contemptum sui moritur; tanto gratia celerius venit, copiosius intrat: et altius liberum cor elevat. Tunc videbit et affluet, et mirabitur et dilatabitur cor eius in ipso; quia manus Domini cum eo: et ipse se posuit totaliter in manu eius usque in saeculum. Ecce sic benedicetur homo, qui quaerit Deum in toto corde suo: nec in vanum accipit animam suam. Hic in accipiendo sacram eucharistiam, magnam promeretur divinae unionis gratiam; quia non respicit ad propriam devotionem et consolationem: sed super omnem devotionem et consolationem ad Dei gloriam et honorem.

QVOD NECESSITATES NOSTRAS CHRISTO APERIRE ET EIVS GRATIAM POSTVLARE DEBEMVS.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM XVI.

dulcissime atque amantissime Domine quem nunc devote desidero suscipere: tu scis infirmitatem meam et necessitatem quam patior; in quantis malis et vitiis iaceo: quam saepe sum gravatus temptatus turbatus et inquinatus. Pro remedio ad te venio: pro consolatione et sublevamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea: et qui solus potest me perfecte consolari et adiuvare. Tu scis quibus bonis indigeo prae omnibus: et quam pauper sum in virtutibus. Ecce sto ante te pauper et nudus: gratiam postulans et misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum; accende frigiditatem meam igne amoris tui: illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia gravia et contraria in patientiam: omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in caelum: et ne dimittas

me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas usque in saeculum; quia tu solus cibus et potus meus, amor meus et gaudium meum: dulcedo mea et totum bonum meum. Vtinam me totaliter ex tua praesentia accendas comburas et in te transmutes; ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis: et liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum et aridum a te recedere; sed operare mecum misericorditer: sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum si totus ex te ignescerem, et in me ipso deficerem; cum tu sis ignis semper ardens et numquam deficiens, amor corda purificans, et intellectum illuminans?

DE ARDENTI AMORE ET VEHEMENTI AFFECTV SVSCIPIENDI CHRISTVM.

VOX DISCIPVLI.

CAPITVLVM XVII.

CVm summa devotione et ardenti amore, cum toto cordis affectu et fervore desidero te Domine suscipere: quemadmodum multi sancti et devotae personae in communicando te desideraverunt; qui tibi maxime in sanctitate vitae placuerunt: et in ardentissima devotione

fuerunt. O Deus meus amor aeternus totum bonum meum felicitas interminabilis; cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio et dignissima reverentia: quam aliquis sanctorum umquam habuit et sentire potuit. Et licet indignus sum omnia illa sentimenta devotionis habere; tamen offero tibi totum cordis mei affectum: ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Sed et quaecumque potest pia mens concipere et desiderare: haec omnia tibi cum summa veneratione et intimo favore praebeo et offero. Nihil opto mihi reservare: sed me et omnia mea tibi sponte et libentissime immolare. Domine Deus meus creator meus et redemptor meus cum tali affectu reverentia laude et honore cum tali gratitudine dignitate et amore, cum tali fide spe et puritate te affecto hodie suscipere; sicut te suscepit et desideravit sanctissima mater tua gloriosa Virgo Maria quando angelo evangelizanti sibi incarnationis mysterium humiliter ac devote respondit: ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Et sicut beatus praecursor tuus excellentissimus sanctorum Iohannes baptista in praesentia tua laetabundus exultavit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis clauderetur visceribus: et post-

modum cernens inter homines Iesum ambulantem valde se humilians devoto cum affectu dicebat, amicus autem sponsi qui stat et audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi; sic et ego magnis et sacris desideriis opto inflammari: et tibi ex toto corde me ipsum praesentare. Vnde et omnium devotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes et caelicas visiones tibi offero et exhibeo cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in caelo et in terra celebratis et celebrandis pro me et omnibus mihi in oratione commendatis; quatinus ab omnibus digne lauderis: et in perpetuum glorificeris. Accipe vota mea Domine Deus meus et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis: quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae iure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum: atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes, omnes caelestes spiritus et cunctos fideles tuos precibus et affectibus invito et exoro. Laudent te universi populi tribus et linguae: et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa iubilatione et ardenti devotione magnificent. Et quicumque reverenter ac devote altissimum

sacramentum tuum celebrant et plena fide recipiunt; gratiam et misericordiam apud te invenire mereantur: et pro me peccatore suppliciter exorent. Cumque optata devotione ac fruibili unione potiti fuerint, et bene consolati ac mirifice refecti de sacra mensa caelesti abscesserint: mei pauperis recordari dignentur.

QVOD HOMO NON SIT CVRIOSVS SCRVTATOR SACRAMENTI, SED HVMILIS IMITATOR CHRISTI SVBDENDO SENSVM SVVM SACRAE FIDEI.

VOX DILECTI.

CAPITVLVM XVIII.

GAvendum est tibi a curiosa et inutili perscrutatione huius profundissimi sacramenti: si non vis in dubitationis profundum submergi. Qui scrutator est maiestatis: opprimetur a gloria. Plus valet Deus operari: quam homo intellegere potest. Tolerabilis pia et humilis inquisitio veritatis: parata semper doceri, et per sanas patrum sententias studens ambulare. Beata simplicitas, quae difficiles quaestionum relinquit vias: et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei. Multi devotionem perdiderunt: dum altiora scru-

tari voluerunt. Fides a te exigitur et sincera vita: non altitudo intellectus neque profunditas mysteriorum Dei. Si non intellegis nec capis quae infra te sunt, quomodo comprehendes quae supra te sunt? Subdere Deo et humilia sensum tuum fidei: et dabitur tibi scientiae lumen prout tibi fuerit utile ac necessarium. Quidam graviter temptantur de fide et sacramento: sed non est hoc ipsis imputandum sed potius inimico. Noli curare noli disputare cum cogitationibus tuis: nec ad immissas a diabolo dubitationes responde; sed crede verbis Dei crede sanctis eius et prophetis: et fugiet a te nequam inimicus. Saepe multum prodest: quod talia sustinet Dei servus. Nam infideles et peccatores non temptat quos secure iam possidet: fideles autem devotos variis modis temptat et vexat. Perge ergo cum simplici et indubitata fide; et cum supplici reverentia ad sacramentum accede: et quidquid intellegere non vales Deo omnipotenti secure committe. Non fallit te Deus: fallitur qui sibi ipsi nimium credit. Graditur Deus cum simplicibus revelat se humilibus; dat intellectum parvulis, aperit sensum puris mentibus: et abscondit gratiam curiosis et superbis. Ratio humana debilis est et falli potest: fides autem vera falli non potest. Omnis

ratio et naturalis investigatio fidem sequi debet: non praecedere nec infringere. Nam fides et amor ibi maxime praecellunt: et occultis modis in hoc sanctissimo et superexcellentissimo sacramento operantur. Deus aeternus et immensus infinitaeque potentiae; facit magna et inscrutabilia in caelo et in terra: nec est investigatio mirabilium operum eius. Si talia essent opera Dei ut facile ab humana ratione caperentur: non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda.

LIBER INTERNAE CONSOLATIONIS

[DE IMITATIONE CHRISTI QVAE VVLGO DICITVR LIBER TERTIVS]

CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS.

DE interna Christi locutione ad animam fidelem I
Quod veritas intus loquitur sine strepitu verborum II
Quod verba Dei cum humilitate sunt audienda, et quod multi ea non ponderant III
Quod in veritate et humilitate coram Deo conversandum est IIII
De mirabili effectu divini amoris V
De probatione veri amatoris VI
De occultanda gratia sub humilitatis custodia . . VII
De vili aestimatione sui ipsius in oculis Dei . . VIII
Quod omnia ad Deum sicut ad finem ultimum sunt referenda IX
Quod spreto mundo dulce est servire Deo . . X
Quod desideria cordis examinanda sunt et moderanda XI
De informatione patientiae et luctamine adversus concupiscentias XII
De obœdientia humilis subditi ad exemplum Iesu Christi XIII
De occultis Dei iudiciis considerandis ne extollamur in bonis XIIII
Qualiter standum sit ac dicendum in omni re desiderabili XV
Quod verum solacium in solo Deo est quaerendum XVI
Quod omnis sollicitudo in Deo statuenda sit . . XVII
Quod temporales miseriae exemplo Christi aequanimiter sunt ferendae XVIII
De tolerantia iniuriarum et quis verus patiens probetur XIX
De confessione propriae infirmitatis et huius vitae miseriis XX
Quod in Deo super omnia bona et dona requiescendum est XXI
De recordatione multiplicium beneficiorum Dei . XXII
De quatuor magnam importantibus pacem . . . XXIII

CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS

De evitatione curiosae inquisitionis super alterius vita XXIIII
In quibus firma pax cordis et verus profectus consistit XXV
De eminentia liberae mentis quam supplex oratio magis meretur quam lectio XXVI
Quod privatus amor a summo bono maxime retardat XXVII
Contra linguas obtrectatorum XXVIII
Qualiter instante tribulatione Deus invocandus est et benedicendus XXIX
De divino petendo auxilio et confidentia recuperandae gratiae XXX
De neglectu omnis creaturae ut creator possit inveniri XXXI
De abnegatione sui et abdicatione omnis cupiditatis XXXII
De instabilitate cordis et de intentione finali ad Deum habenda XXXIII
Quod amanti sapit Deus super omnia et in omnibus XXXIIII
Quod non est securitas a temptatione in hac vita XXXV
Contra vana hominum iudicia XXXVI
De pura et integra resignatione sui ad optinendam cordis libertatem XXXVII
De bono regimine in externis et recursu ad Deum in periculis XXXVIII
Quod homo non sit importunus in negotiis . . XXXIX
Quod homo nihil boni ex se habet et de nullo gloriari potest XL
De contemptu omnis temporalis honoris . . . XLI
Quod pax non est ponenda in hominibus . . XLII
Contra vanam et saecularem scientiam . . . XLIII
De non attrahendo sibi res exteriores XLIIII
Quod omnibus non est credendum, et de facili lapsu verborum XLV
De confidentia in Deo habenda quando insurgunt verborum iacula XLVI
Quod omnia gravia pro aeterna vita sunt toleranda XLVII
De die aeternitatis et huius vitae angustiis . . XLVIII
De desiderio aeternae vitae et quanta sint certantibus bona promissa XLIX

Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre L
Quod humilibus insistendum est operibus cum deficitur a summis LI
Quod homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus reum LII
Quod gratia Dei non miscetur terrena sapientibus LIII
De diversis motibus naturae et gratiae LIIII
De corruptione naturae et efficacia gratiae divinae LV
Quod nos ipsos abnegare et Christum imitari debemus per crucem LVI
Quod homo non sit nimis delectus quando in aliquos labitur defectus LVII
De altioribus rebus et occultis iudiciis Dei non scrutandis LVIII
Quod omnis spes et fiducia in solo Deo est figenda LIX

INCIPIT LIBER INTERNAE CONSOLATIONIS.

DE INTERNA CHRISTI LOCVTIONE AD ANIMAM FIDELEM.

CAPITVLVM I.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Beata anima quae Dominum in se loquentem audit: et de ore eius consolationis verbum accipit. Beatae aures quae venas divini susurri suscipiunt: et de mundi huius susurrationibus nihil advertunt. Beatae plane aures quae non vocem foris sonantem: sed intus auscultant veritatem docentem. Beati oculi: qui exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti. Beati qui interna penetrant: et ad capienda arcana caelestia, magis ac magis per cotidiana exercitia se student praeparare. Beati qui Deo vacare gestiunt: et ab omni impedimento saeculi se excutiunt. Animadverte haec anima mea; et claude

sensualitatis tuae ostia: ut possis audire quid in te loquatur Dominus Deus tuus. Haec dicit dilectus tuus. Salus tua ego sum: pax tua et vita tua. Serva te apud me: et pacem invenies. Dimitte omnia transitoria: quaere aeterna. Quid sunt omnia temporalia; nisi seductoria? Et quid iuvant omnes creaturae; si fueris a creatore deserta? Omnibus ergo abdicatis, creatori tuo te redde placitam ac fidelem: ut veram valeas apprehendere beatitutinem.

QVOD VERITAS INTVS LOQVITVR SINE STREPITV VERBORVM.

CAPITVLVM II.

LOquere Domine: quia audit servus tuus. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum ut sciam testimonia tua. Inclina cor meum in verba oris tui: fluat ut ros eloquium tuum. Dicebant olim filii Israel ad Moysen. Loquere tu nobis et audiemus; non loquatur nobis Dominus: ne forte moriamur. Non sic Domine non sic oro: sed magis cum Samuele propheta humiliter ac desideranter obsecro. Loquere Domine quia audit servus tuus. Non loquatur mihi Moyses aut aliquis ex prophetis: sed tu potius loquere Domine Deus inspirator et illuminator

omnium prophetarum; quia tu solus sine eis potes me perfecte imbuere: illi autem sine te nihil proficient. Possunt quidem verba sonare: sed spiritum non conferunt. Pulchriter dicunt: sed te tacente cor non accendunt. Litteras tradunt: sed tu sensum aperis. Mysteria proferunt: sed tu reseras intellectum signatorum. Mandata edicunt: sed tu iuvas ad perficiendum. Viam ostendunt: sed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantum agunt: sed tu corda instruis et illuminas. Illi exterius rigant: sed tu fecunditatem donas. Illi clamant verbis: sed tu auditui intellegentiam tribuis. Non ergo loquatur mihi Moyses sed tu Domine Deus meus aeterna veritas: ne forte moriar et sine fructu efficiar si fuero tantum foris admonitus et intus non accensus; ne sit mihi ad iudicium verbum auditum et non factum, cognitum nec amatum: creditum et non servatum. Loquere igitur Domine quia audit servus tuus: verba enim vitae aeternae habes. Loquere mihi ad qualemcumque animae meae consolationem et ad totius vitae meae emendationem: tibi autem ad laudem et gloriam et perpetuum honorem.

QVOD VERBA DEI CVM HVMILITATE SVNT AVDIENDA, ET QVOD MVLTI EA NON PONDERANT.

CAPITVLVM III.

AVdi fili verba mea verba suavissima: omnem philosophorum et sapientium huius mundi scientiam excedentia. Verba mea spiritus et vita sunt: nec humano sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiam trahenda; sed in silentio audienda: et cum omni humilitate atque magno affectu suscipienda. Et dixi. Beatus quem tu erudieris Domine: et de lege tua docueris eum. Vt mitiges ei a diebus malis: et non desoletur in terra. Ego inquit Dominus docui prophetas ab initio et usque nunc non cesso omnibus loqui: sed multi ad vocem meam surdi sunt et duri. Plures mundum libentius audiunt quam Deum; facilius sequuntur carnis suae appetitum: quam Dei beneplacitum. Promittit mundus temporalia et parva et servitur ei aviditate magna; ego promitto summa et aeterna: et torpescunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus servit et oboedit; sicut mundo et dominis eius servitur? Erubesce Sidon ait mare. Et si causam quaeris: audi quare. Pro modica praebenda longa via

curritur: pro aeterna vita a multis vix pes semel a terra levatur. Vile pretium quaeritur, pro uno nummismate interdum turpiter litigatur; pro vana re et parva promissione die noctuque fatigari non timetur: sed pro pudor pro bono incommutabili pro praemio inaestimabili, pro summo honore et gloria interminabili vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubesce ergo serve piger et querulose; quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem: quam tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem: quam tu ad veritatem. Equidem a spe sua nonnumquam frustrantur; sed promissio mea neminem fallit: nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promisi dabo; quod dixi implebo: si tamen usque in finem fidelis in dilectione mea quis permanserit. Ego remunerator sum omnium bonorum: et fortis probator omnium devotorum. Scribe verba mea in corde tuo et pertracta diligenter: erunt enim in tempore temptationis valde necessaria. Quod non intellegis cum legis: cognosces in die visitationis. Dupliciter soleo electos meos visitare: temptatione scilicet et consolatione. Et duas lectiones eis cotidie lego; unam increpando eorum vitia: alteram exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea et spernit ea: habet qui iudicet eum in novissimo die.

ORATIO AD IMPLORANDAM DEVOTIONIS GRATIAM.

DOmine Deus meus omnia bona mea tu es. Et quis ego sum ut audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus servulus tuus et abiectus vermiculus: multo pauperior et contemptibilior quam scio et dicere audeo. Memento tamen Domine: quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo. Tu solus bonus iustus et sanctus; tu omnia potes, omnia praestas omnia imples: solum peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationum tuarum, et imple cor meum gratia tua: qui non vis esse vacua opera tua. Quomodo possum me tolerare in hac misera vita; nisi me confortaveris misericordia et gratia tua? Noli avertere faciem tuam a me, noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere: ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Domine doce me facere voluntatem tuam: doce me coram te digne et humiliter conversari; quia sapientia mea tu es qui in veritate me cognoscis: et cognovisti antequam fieret mundus et antequam natus essem in mundo.

QVOD IN VERITATE ET HVMILITATE CORAM DEO CONVERSANDVM EST.

CAPITVLVM IIII.

FIlli. Ambula coram me in veritate: et in simplicitate cordis tui quaere me semper. Qui ambulat coram me in veritate; tutabitur ab incursibus malis: et veritas liberabit eum a seductoribus et detractionibus iniquorum. Si veritas te liberaverit vere liber eris: et non curabis de vanis hominum verbis. Domine verum est. Sicut dicis, ita quaeso mecum fiat. Veritas tua me doceat; ipsa me custodiat: et usque ad salutarem finem conservet. Ipsa me liberet ab omni affectione mala et inordinata dilectione: et ambulabo tecum in magna cordis libertate.

Ego te docebo ait Veritas quae recta sunt: et placita coram me. Cogita peccata tua cum displicentia magna et maerore: et numquam reputes te aliquid esse propter opera bona. Revera peccator es: et multis passionibus obnoxius et implicatus. Ex te semper ad nihil tendis; cito laberis, cito vinceris: cito turbaris, cito dissolveris. Non habes quicquam unde possis gloriari; sed multa unde te debeas vilificare: quia multo infirmior es quam vales comprehendere. Nil ergo

magnum tibi videatur ex omnibus quae agis. Nil grande nil pretiosum et admirabile, nil reputatione appareat dignum; nil altum nil vere laudabile et desiderabile: nisi quod aeternum est. Placeat tibi super omnia aeterna Veritas: displiceat tibi semper tua maxima vilitas. Nil sic timeas sic vituperes et fugias, sicut vitia et peccata tua: quae magis displicere debent quam quaelibet rerum damna. Quidam non sincere coram me ambulant; sed quadam curiositate et arrogantia ducti volunt secreta mea scire et alta Dei intellegere: se et suam salutem neglegentes. Hi saepe in magnas temptationes et peccata propter suam superbiam et curiositatem me eis adversante labuntur. Time iudicia Dei: expavesce iram Omnipotentis. Noli autem discutere opera Altissimi; sed tuas iniquitates perscrutare in quantis deliquisti: et quam multa bona neglexisti. Quidam solum portant suam devotionem in libris; quidam in imaginibus: quidam autem in signis exterioribus et figuris. Quidam habent me in ore: sed modicum est in corde. Sunt alii qui intellectu illuminati et affectu purgati ad aeterna semper anhelant; de terrenis graviter audiunt, necessitatibus naturae dolenter inserviunt: et hi sentiunt quid spiritus veritatis lo-

quitur in eis; quia docet eos terrena despicere, et amare caelestia: mundum neglegere, et caelum tota die ac nocte desiderare.

DE MIRABILI EFFECTV DIVINI AMORIS.

CAPITVLVM V.

BEnedico te Pater caelestis Pater Domini mei Iesu Christi: quia mei pauperis dignatus es recordari. O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis gratias tibi: qui me indignum omni consolatione quandoque tua recreas consolatione. Benedico te semper et glorifico cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto paraclito: in saecula saeculorum. Eia Domine Deus amator sancte meus, cum tu veneris in cor meum: exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea: et exultatio cordis mei. Tu spes mea et refugium meum: in die tribulationis meae. Sed quia adhuc debilis sum in amore et imperfectus in virtute: ideo necesse habeo a te confortari et consolari. Propterea visita me saepius et instrue disciplinis sanctis; libera me a passionibus malis: et sana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis; ut intus sanatus et bene purgatus aptus efficiar ad amandum: fortis ad patiendum, stabilis ad perseverandum.

Magna res est amor, magnum omnino bonum; quod solum leve facit omne onerosum: et fert aequaliter omne inaequale. Nam onus sine onere portat: et omne amarum dulce ac sapidum efficit. Amor IESV nobilis ad magna operanda impellit: et ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor vult esse sursum: nec ullis infimis rebus retineri. Amor vult esse liber, et ab omni mundana affectione alienus: ne internus eius impediatur aspectus; ne per aliquod commodum temporale implicationes sustineat: aut per incommodum succumbat. Nihil dulcius est amore; nihil fortius, nihil altius nihil latius: nihil iucundius nihil plenius nec melius in caelo et in terra; quia amor ex Deo natus est: nec potest nisi in Deo super omnia creata quiescere. Amans volat currit et laetatur: liber est et non tenetur. Dat omnia pro omnibus: et habet omnia in omnibus; quia in uno summo super omnia quiescit: ex quo omne bonum fluit et procedit. Non respicit ad dona: sed ad donantem se convertit super omnia bona. Amor modum saepe nescit: sed super omnem modum fervescit. Amor onus non sentit: labores non reputat, plus affectat quam valet; de impossibilitate non causatur: quia cuncta sibi posse et licere arbitratur.

Valet igitur ad omnia; et multa implet et effectui mancipat: ubi non amans deficit et iacet. Amor vigilat et dormiens non dormitat; fatigatus non lassatur, artatus non artatur, territus non conturbatur: sed sicut vivax flamma et ardens facula sursum erumpit secureque pertransit. Si quis amat: novit quid haec vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei est: ipse ardens affectus animae, quae dicit. Deus meus amor meus: tu totus meus, et ego totus tuus. Dilata me in amore; ut discam interiori cordis ore degustare quam suave sit amare: et in amore liquefieri et natare. Tenear amore: vadens supra me praenimio fervore et stupore. Cantem amoris canticum, sequar te dilectum meum in altum: deficiat in laude tua anima mea iubilans ex amore. Amem te plus quam me, nec me nisi propter te, et omnes in te qui vere amant te: sicut iubet lex amoris lucens ex te. Est amor velox sincerus pius iucundus et amoenus; fortis patiens fidelis, prudens longanimis virilis: et se ipsum numquam quaerens. Vbi enim se ipsum aliquis quaerit: ibi ab amore cadit. Est amor circumspectus humilis et rectus; non mollis non levis nec vanis intendens rebus: sobrius castus stabilis quietus et in cunctis sensibus custoditus. Est amor subiectus et oboediens praelatis: sibi vilis

et despectus, Deo devotus et gratificus; fidens et sperans semper in eo etiam cum sibi non sapit Deus: quia sine dolore non vivitur in amore. Qui non est paratus omnia pati et ad voluntatem stare dilecti: non est dignus amator appellari. Oportet amantem omnia dura et amara propter dilectum libenter amplecti: nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

DE PROBATIONE VERI AMATORIS.

CAPITVLVM VI.

FIli non es adhuc fortis et prudens amator. Quare Domine? Quia propter modicam contrarietatem deficis a coeptis: et nimis avide consolationem quaeris. Fortis amator stat in temptationibus: nec callidis credit persuasionibus inimici. Sicut ei in prosperis placeo: ita nec in adversis displiceo. Prudens amator non tam donum amantis considerat: quam dantis amorem. Affectum potius attendit quam censum: et infra dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quiescit in dono: sed in me super omne donum. Non est ideo totum perditum, si quandoque minus bene de me vel de sanctis meis sentis quam velles. Affectus ille bonus et dulcis quem interdum percipis: effectus gratiae praesentis

est, et quidam praegustus patriae caelestis. Super quo non nimium innitendum: quia vadit et venit. Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionemque spernere diaboli: insigne est virtutis et magni meriti. Non ergo te conturbent alienae phantasiae: de quacumque materia ingestae. Forte serva propositum: et intentionem rectam ad Deum. Nec est illusio quod aliquando in excessum subito raperis: et statim ad solitas ineptias cordis reverteris. Illas enim invite magis pateris quam agis; et quamdiu displicent et reniteris: meritum est et non perditio. Scito quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio evacuare; a sanctorum scilicet cultu a pia passionis meae memoria, a peccatorum utili recordatione a proprii cordis custodia: et a firmo proposito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit, ut taedium tibi faciat et horrorem: ut ab oratione revocet et sacra lectione. Displicet sibi humilis confessio: et si posset a communione cessare faceret. Non credas ei neque cures illum: licet saepius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Sibi imputa: cum mala inserit et immunda. Dicito illi. Vade immunde spiritus, erubesce miser; valde immundus es tu:

qui talia infers auribus meis. Discede a me seductor pessime; non habebis in me partem ullam: sed Iesus mecum erit tamquam bellator fortis, et tu stabis confusus. Malo mori et omnem poenam subire: quam tibi consentire. Tace et obmutesce; non audiam te amplius: licet plures mihi moliris molestias. Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Si consistant adversus me castra: non timebit cor meum. Dominus adiutor meus: et redemptor meus.

Certa tamquam miles bonus; et si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus confidens de ampliori gratia mea: et multum praecave a vana complacentia et superbia. Propter hoc multi in errorem ducuntur: et in caecitatem paene incurabilem quandoque labuntur. Sit tibi in cautelam et perpetuam humilitatem: ruina haec superborum de se stulte praesumentium.

DE OCCVLTANDA GRATIA SVB HVMILITATIS CVSTODIA.

CAPITVLVM VII.

FIli. Vtilius est tibi et securius devotionis gratiam abscondere: nec in altum te efferre, nec multum inde loqui neque multum ponderare; sed magis

temet ipsum despicere: et tamquam indigno datam timere. Non est huic affectioni tenacius inhaerendum: quae citius potest mutari in contrarium. Cogita in gratia: quam miser et inops esse soles sine gratia. Nec est in eo tantum spiritualis vitae profectus, cum consolationis habueris gratiam: sed cum humiliter et abnegate patienterque tuleris eius subtractionem; ita quod tunc ab orationis studio non torpeas: nec reliqua opera tua ex usu facienda omnino dilabi permittas; sed sicut melius potueris et intellexeris libenter quod in te est facias: nec propter ariditatem seu anxietatem mentis quam sentis te totaliter neglegas. Multi enim sunt, qui cum non bene eis successerit: statim impatientes fiunt aut desides. Non enim semper est in potestate hominis via eius; sed Dei est dare et consolari quando vult et quantum vult et cui vult: sicut sibi placuerit et non amplius. Quidam incauti propter devotionis gratiam se ipsos destruxerunt; quia plus agere voluerunt quam potuerunt, non pensantes suae parvitatis mensuram: sed magis cordis affectum sequentes quam rationis iudicium. Et quia maiora praesumpserunt quam Deo placitum fuit: idcirco gratiam cito perdiderunt. Facti sunt inopes et viles relicti: qui in caelum

posuerunt nidum sibi; ut humiliati et depauperati discant non in alis suis volare: sed sub pennis meis sperare. Qui adhuc novi sunt et inperiti in via Domini: nisi consilio discretorum se regant, faciliter decipi possunt et elidi. Quod si suum sentire magis sequi quam aliis exercitatis credere volunt; erit eis periculosus exitus: si tamen retrahi a proprio conceptu noluerint. Raro sibi ipsis sapientes: ab aliis regi humiliter patiuntur. Melius est sapere modicum cum humilitate et parva intellegentia: quam magni scientiarum thesauri cum vana complacentia. Melius est tibi minus habere: quam multum unde posses superbire. Non satis discrete agit, qui se totum laetitiae tradit: obliviscens pristinae inopiae suae et casti timoris Domini, qui timet gratiam oblatam amittere. Nec etiam satis virtuose sapit; qui tempore adversitatis et cuiusque gravitatis nimis desperate se gerit: et minus fidenter de me quam oportet recogitat ac sentit. Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit: saepe tempore belli nimis deiectus et formidolosus reperietur. Si scires semper humilis et modicus in te permanere; nec non spiritum tuum bene moderare et regere: non incideres tam cito in periculum et offensam. Consilium bonum est, ut fervoris spiritu con-

cepto: mediteris quid futurum sit abscedente lumine. Quod dum contigerit, recogita et denuo lucem posse reverti: quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam ad tempus subtraxi. Vtilior est saepe talis probatio: quam si semper prospera pro tua haberes voluntate. Nam merita non sunt ex hoc existimanda si quis plures visiones aut consolationes habeat: vel si peritus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu; sed si vera fuerit humilitate fundatus et divina caritate repletus: si Dei honorem pure et integre semper quaerat; si se ipsum nihil reputet, et in veritate despiciat: atque ab aliis etiam despici et humiliari magis gaudeat quam honorari.

DE VILI AESTIMATIONE SVI IPSIVS IN OCVLIS DEI.

CAPITVLVM VIII.

Loquar ad Dominum meum: cum sim pulvis et cinis. Si me amplius reputavero; ecce tu stas contra me, et dicunt testimonium verum iniquitates meae: nec possum contradicere. Si autem me vilificavero, et ad nihilum redegero: et ab omni propria reputatione defecero, atque sicut sum pulverizavero; erit mihi propitia gratia tua et vicina cordi meo

lux tua: et omnis aestimatio quantulacumque minima in valle nihileitatis meae submergetur et peribit in aeternum. Ibi ostendis me mihi, quid sum quid fui et quo deveni: quia nihil sum et nescivi. Si mihi ipsi relinquor: ecce nihil et tota infirmitas. Si autem subito me respexeris; statim fortis efficior: et novo repleor gaudio. Et mirum valde, quod sic repente sublevor et tam benigne a te complector: qui proprio pondere semper ad ima feror. Facit hoc amor tuus gratis praeveniens me, et in tam multis subveniens necessitatibus; a gravibus quoque custodiens me periculis: et ab innumeris ut vere dicam eripiens malis. Me siquidem male amando me perdidi; et te solum quaerendo et pure amando me et te pariter inveni: atque ex amore profundius ad nihilum me redegi. Quia tu o dulcissime facis mecum supra meritum omne: et supra id quam audeo sperare vel rogare. Benedictus sis Deus meus; quia licet ego omnibus bonis sim indignus: tua tamen nobilitas et infinita bonitas numquam cessat benefacere etiam ingratis et longe a te aversis. Converte nos ad te, ut simus grati humiles et devoti: quia salus nostra tu es, virtus et fortitudo nostra.

QVOD OMNIA AD DEVM SICVT AD FINEM VLTIMVM SVNT REFERENDA.

CAPITVLVM IX.

FIlli. Ego debeo esse finis tuus supremus et ultimatus: si vere desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus: saepius ad se ipsum et ad creaturas male incurvatus. Nam si te ipsum in aliquo quaeris: statim in te deficis et arescis. Omnia ergo ad me principaliter referas: quia ego sum qui omnia dedi. Sic singula considera sicut ex summo bono manantia: et ideo ad me tamquam ad suam originem cuncta sunt reducenda. Ex me pusillus et magnus, pauper et dives, tamquam ex fonte vivo aquam vivam hauriunt; et qui mihi sponte et libere deserviunt: gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari; non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur: sed multipliciter impedietur et angustiabitur. Nihil ergo tibi de bono ascribere debes: nec alicui homini virtutem attribuas; sed totum da Deo: sine quo nihil habet homo. Ego totum dedi; ego totum rehabere volo: et cum magna districtione gratiarum actiones

requiro. Haec est veritas: qua fugatur gloriae vanitas. Et si intraverit caelestis gratia et vera caritas; non erit aliqua invidia, nec contractio cordis: neque privatus amor occupabit. Vincit enim omnia divina caritas: et dilatat omnes animae vires. Si recte sapis in me solo gaudebis, in me solo sperabis; quia nemo bonus nisi solus Deus: qui est super omnia laudandus et in omnibus benedicendus.

QVOD SPRETO MVNDO DVLCE EST SERVIRE DEO.

CAPITVLVM X.

NVnc iterum loquar Domine et non silebo; dicam in auribus Dei mei, Domini mei et Regis mei: qui est in excelso. O quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine: quam abscondisti timentibus te. Sed quid es amantibus; quid toto corde tibi servientibus? Vere ineffabilis dulcedo contemplationis tuae: quam largiris amantibus te. In hoc maxime ostendisti mihi dulcedinem caritatis tuae, quia cum non essem fecisti me: et cum errarem longe a te, reduxisti me ut servirem tibi: et praecepisti ut diligam te. O fons amoris perpetui. Quid dicam de te? Quomodo potero tui oblivisci; qui mei dignatus es recordari, etiam post-

quam contabui et perii? Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo: et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, ut omnibus abdicatis saeculo renuntient: et monasticam vitam assumant. Numquid magnum est ut tibi serviam; cui omnis creatura servire tenetur? Non magnum mihi videri debet servire tibi; sed hoc potius magnum mihi et mirandum apparet: quod tam pauperem et indignum dignaris in servum recipere et dilectis servis tuis adunare. Ecce omnia tua sunt: quae habeo et unde tibi servio. Verumtamen vice versa tu magis mihi servis quam ego tibi. Ecce caelum et terra quae in ministerium hominis creasti praesto sunt: et faciunt cotidie quaecumque mandasti. Et hoc parum est: quin etiam angelos in ministerium hominis ordinasti. Transcendit autem haec omnia, quia tu ipse homini servire dignatus es: et te ipsum daturum ei promisisti. Quid dabo tibi pro omnibus istis milibus bonis? Vtinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae. Vtinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem. Vere tu es dignus omni servitio: omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus; qui totis viri-

bus teneor tibi servire: nec umquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo sic desidero: et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

NOTA Magnus honor magna gloria tibi servire: et omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam: qui sponte se subiecerint tuae sanctissimae servituti. Invenient suavissimam Spiritus sancti consolationem: qui pro amore tuo omnem carnalem abiecerint delectationem. Consequentur magnam mentis libertatem; qui artam pro nomine tuo ingrediuntur viam: et omnem mundanam neglexerint curam. O grata et iucunda Dei servitus: qua homo veraciter efficitur liber et sanctus. O sacer status religiosi famulatus; qui hominem angelis reddit aequalem, Deo placabilem, daemonibus terribilem: et cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum et semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum: et gaudium acquiritur sine fine mansurum.

QVOD DESIDERIA CORDIS EXAMINANDA SVNT ET MODERANDA.

CAPITVLVM XI.

FIli. Oportet te adhuc multa addiscere: quae necdum bene didicisti. Quae sunt haec Domine? Vt

desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum; et tui ipsius amator non sis: sed meae voluntatis cupidus aemulator. Desideria te saepe accendunt et vehementer impellunt: sed considera an propter honorem meum an propter tuum commodum magis movearis. Si ego sum in causa: bene contentus eris quomodocumque ordinavero. Si autem de proprio quaesitu aliquid latet: ecce hoc est quod te impedit et gravat. Cave ergo ne nimium innitaris super desiderio praeconcepto me non consulto; ne forte postea paeniteat aut displiceat: quod primo placuit et quasi pro meliore zelasti. Non enim omnis affectio quae videtur bona statim est sequenda: sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda. Expedit interdum refrenatione uti etiam in bonis studiis et desideriis: ne per importunitatem mentis distractionem incurras; ne aliis per indisciplinationem scandalum generes: vel etiam per resistentiam aliorum subito turberis et corruas. Interdum vero oportet violentia uti et viriliter appetitui sensitivo contraire; nec advertere quid velit caro et quid non velit: sed hoc magis satagere, ut subiecta sit etiam nolens spiritui. Et tamdiu castigari debet et cogi servituti subesse, donec parata sit ad omnia; paucisque contentari discat et

simplicibus delectari: nec contra aliquod inconveniens mussitare.

DE INFORMATIONE PATIENTIAE ET LVCTAMINE ADVERSVS CONCVPISCENTIAS.

CAPITVLVM XII.

DOmine Deus ut video, patientia est mihi valde necessaria: multa enim in hac vita accidunt contraria. Nam qualitercumque ordinavero de pace mea: non potest esse sine bello et dolore vita mea. Ita est fili. Sed volo te non talem quaerere pacem quae temptationibus careat aut contraria non sentiat; sed tunc etiam aestimare te pacem invenisse: cum fueris variis tribulationibus exercitatus, et in multis contrarietatibus probatus. Si dixeris te non posse multa pati; quomodo tunc sustinebis ignem purgatorii? De duobus malis minus est semper eligendum. Vt ergo aeterna futura supplicia possis evadere: mala praesentia studeas pro Deo aequanimiter tolerare. An putas quod homines saeculi huius nihil vel parum patiantur? Nec hoc invenies: etiam si delicatissimos quaesieris. Sed habent inquis multas delectationes et proprias sequuntur voluntates: ideoque parum ponderant suas tribulationes. Esto ita sit:

ut habeant quidquid voluerint. Sed quamdiu putas durabit? Ecce quemadmodum fumus deficient abundantes in saeculo: et nulla erit recordatio praeteritorum gaudiorum. Sed et cum adhuc vivunt: non sine amaritudine et taedio ac timore in eis quiescunt. Ex eadem namque re unde sibi delectationem concipiunt: inde doloris poenam frequenter recipiunt. Iuste illis fit, ut quia inordinate delectationes quaerunt et sequuntur: non sine confusione et amaritudine eas expleant. O quam breves, quam falsae: quam inordinatae et turpes omnes sunt. Verumtamen prae ebrietate et caecitate non intellegunt: sed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitae delectamentum mortem animae incurrunt. Tu ergo fili post concupiscentias tuas non eas: et a voluntate tua avertere. Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. Etenim si veraciter vis delectari et abundantius a me consolari; ecce in contemptu omnium mundanorum et in abscisione omnium infimarum delectationum erit benedictio tua: et copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto te plus ab omni creaturarum solacio subtraxeris: tanto in me suaviores et potentiores consolationes invenies. Sed primo non sine quadam tristitia et labore certaminis ad has pertinges. Obsistet inolita

consuetudo: sed meliori consuetudine devincetur. Remurmurabit caro: sed fervore spiritus frenabitur. Instigabit et exacerbabit te serpens antiquus; sed oratione fugabitur: insuper et labore utili aditus ei magnus obstruetur.

DE OBOEDIENTIA HVMILIS SVBDITI AD EXEMPLVM IESV CHRISTI.

CAPITVLVM XIII.

FIli. Qui se subtrahere nititur ab oboedientia: ipse se subtrahit a gratia. Et qui quaerit habere privata: amittit communia. Qui non libenter et sponte suo superiori se subdit; signum est quod caro sua necdum perfecte sibi oboedit: sed saepe recalcitrat et remurmurat. Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere: si carnem propriam optas subiugare. Citius namque exterior vincitur inimicus: si interior homo non fuerit devastatus. Non est molestior et peior animae hostis: quam tu ipse tibi, non bene concordans spiritui. Oportet omnino verum te assumere tui ipsius contemptum: si vis praevalere adversus carnem et sanguinem. Quia adhuc nimis inordinate te diligis: ideo plene te resignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum, si tu qui pulvis es et nihil,

propter Deum te homini subdis; quando ego omnipotens et altissimus qui cuncta creavi ex nihilo me homini propter te humiliter subieci? Factus sum omnium humillimus et infimus: ut tuam superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare pulvis; disce te humiliare terra et limus: et sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere: et ad omnem subiectionem te dare. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere; sed ita subiectum et parvulum te exhibe: ut omnes super te ambulare possint, et sicut lutum platearum conculcare. Quid habes homo inanis conqueri: quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi; qui totiens Deum offendisti, et infernum multotiens meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus; quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo: ut cognosceres dilectionem meam et gratus semper beneficiis meis existeres; et ut ad veram subiectionem et humilitatem te iugiter dares: patienterque proprium contemptum ferres.

DE OCCVLTIS DEI IVDICIIS CONSIDERANDIS: NE EXTOLLAMVR IN BONIS.

CAPITVLVM XIIII.

INtonas super me iudicia tua Domine; et timore ac tremore concutis omnia ossa mea: et expavescit anima mea valde. Sto attonitus et considero: quia caeli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in angelis repperisti pravitatem nec tamen pepercisti; quid fiet de me? Ceciderunt stellae de caelo; et ego pulvis quid praesumo? Quorum opera videbantur laudabilia ceciderunt ad infima; et qui comedebant panem angelorum: vidi siliquis delectari porcorum. Nulla est ergo sanctitas si manum tuam Domine subtrahas: nulla prodest sapientia, si gubernare desistas; nulla iuvat fortitudo, si conservare desinas: nulla secura castitas, si eam non protegas; nulla propria prodest custodia: si non assit tua sacra vigilantia. Nam relicti mergimur et perimus: visitati vero erigimur et vivimus. Instabiles quippe sumus sed per te confirmamur: tepescimus, sed a te accendimur. O quam humiliter et abiecte mihi de me ipso sentiendum est: quam nihili pendendum si quid boni videar habere. O quam profunde submittere me debeo

sub abyssalibus iudiciis tuis Domine: ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil et nihil. O pondus immensum; o pelagus intransnatabile: ubi nihil de me reperio quam in toto nihil. Vbi est ergo latebra gloriae; ubi confidentia de virtute concepta? Absorpta est omnis gloriatio vana, in profunditate iudiciorum tuorum super me. Quid est omnis caro in conspectu tuo? Numquid gloriabitur lutum contra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio; cuius cor in veritate subiectum est Deo? Non eum totus mundus eriget: quem veritas sibi subiecit; nec omnium laudantium ore movebitur: qui totam spem suam in Deo firmavit. Nam et ipsi qui loquuntur, ecce omnes nihil; deficient enim cum sonitu verborum: veritas autem Domini manet in aeternum.

QVALITER STANDVM SIT AC DICENDVM IN OMNI RE DESIDERABILI.

CAPITVLVM XV.

Filli. Sic dicas in omni re. Domine si tibi placitum fuerit: fiat hoc ita. Domine si fuerit honor tuus: fiat hoc in nomine tuo. Domine si mihi videris expedire et utile esse probaveris: tunc dona mihi hoc uti ad honorem tuum. Sed si mihi nocivum fore cognoveris nec

animae meae saluti prodesse: aufer a me tale desiderium. Non enim omne desiderium est a Spiritu sancto: etiam si homini videatur rectum et bonum. Difficile est pro vero iudicare, utrum spiritus bonus, an alienus te impellat ad desiderandum hoc vel illud: an etiam ex proprio movearis spiritu. Multi in fine sunt decepti: qui primo bono spiritu videbantur inducti. Igitur semper cum timore Dei et cordis humilitate desiderandum est et petendum, quidquid desiderabile menti occurrit: maximeque cum propria resignatione mihi totum committendum est, atque dicendum. Domine tu scis, qualiter melius est: fiat hoc vel illud sicut volueris. Da quod vis et quantum vis: et quando vis. Fac mecum sicut scis, et sicut tibi magis placuerit: et maior honor tuus fuerit. Pone me ubi vis: et libere age mecum in omnibus. In manu tua sum: gyra et reversa me per circuitum. En servus tuus ego, paratus ad omnia; quoniam non desidero mihi vivere sed tibi: utinam digne et perfecte.

ORATIO PRO BENEPLACITO DEI PERFICIENDO.

Oncede mihi benignissime Iesu gratiam tuam; ut mecum sit et mecum laboret: mecumque usque in finem per-

severet. Da mihi hoc semper desiderare et velle: quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit: et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum; nec aliud posse velle aut nolle: nisi quod tu vis et nolis. Da mihi omnibus mori quae in mundo sunt: et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderata in te requiescere: et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis tu sola requies: extra te dura sunt omnia et inquieta. In hac pace, in id ipsum: hoc est in te uno summo aeterno bono dormiam et requiescam. Amen.

QVOD VERVM SOLACIVM IN SOLO DEO EST QVAERENDVM.

CAPITVLVM XVI.

QVidquid desiderare possum vel cogitare ad solacium meum: non hic expecto, sed in posterum. Quod si omnia solacia mundi solus haberem et omnibus deliciis frui possem: certum est quod diu durare non possent. Vnde non poteris anima mea plene consolari nec perfecte recreari: nisi in Deo consolatore pauperum ac susceptore humilium. Expecta modicum anima mea; expecta divinum pro-

missum: et habebis abundantiam omnium bonorum in caelo. Si nimis inordinate ista appetis praesentia: perdes aeterna et caelestia. Sint temporalia in usu: aeterna in desiderio. Non potes aliquo bono temporali satiari: quia ad haec fruenda non es creata. Etiam si omnia creata bona haberes, non posses esse felix et beata; sed in Deo qui cuncta creavit, tota beatitudo tua et felicitas consistit: non qualis videtur et laudatur a stultis mundi amatoribus; sed qualem expectant boni Christi fideles, et praegustant interdum spirituales ac mundicordes: quorum conversatio est in caelis. Vanum est et breve omne humanum solacium. Beatum et verum solacium: quod intus a veritate percipitur. Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum Iesum: et dicit ad eum. Adesto mihi Domine Iesu in omni loco et tempore. Haec mihi sit consolatio: libenter velle carere omni humano solacio. Et si tua defuerit consolatio: sit mihi tua voluntas et iusta probatio pro summo solacio. Non enim in perpetuum irasceris: neque in aeternum comminaberis.

QVOD OMNIS SOLLICITVDO IN DEO STATVENDA SIT.

CAPITVLVM XVII.

Fili. Sine me tecum agere quod volo: ego scio quid expedit tibi. Tu cogitas sicut homo: tu sentis in multis sicut humanus suadet affectus. Domine verum est quod dicis. Maior est sollicitudo tua pro me: quam omnis cura quam ego gerere possum pro me. Nimis enim casualiter stat: qui non proicit omnem sollicitudinem suam in te. Domine dummodo voluntas mea recta et firma ad te permaneat: fac de me quidquid tibi placuerit. Non enim potest esse nisi bonum: quidquid de me feceris. Si me vis esse in tenebris sis benedictus; et si me vis esse in luce: sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari sis benedictus; et si me vis tribulari: sis aeque semper benedictus. Fili, sic oportet te stare: si mecum desideras ambulare. Ita promptus esse debes ad patiendum: sicut ad gaudendum. Ita libenter debes esse inops et pauper: sicut plenus et dives. Domine, libenter patiar pro te: quidquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua bonum et malum dulce et amarum laetum et triste suscipere: et pro

omnibus mihi contingentibus gratias agere. Custodi me ab omni peccato: et non timebo mortem nec infernum. Dummodo in aeternum me non proicias, nec deleas de libro vitae: non mihi nocebit quidquid venerit tribulationis super me.

QVOD TEMPORALES MISERIAE EXEMPLO CHRISTI AEQVANIMITER SVNT FERENDAE.

CAPITVLVM XVIII.

Filli. Ego descendi de caelo pro tua salute; suscepi tuas miserias non necessitate sed caritate trahente: ut patientiam disceres, et temporales miserias non indignanter ferres. Nam ab hora ortus mei, usque ad exitum in cruce: non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium magnum habui; multas querimonias de me frequenter audivi: confusiones et obprobria benigne sustinui; pro beneficiis ingratitudinem recepi: pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones. Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maxime implendo praeceptum Patris tui; dignum est ut ego misellus peccator secundum voluntatem tuam patienter me sustineam: et donec ipse volueris onus corruptibilis vitae pro salute mea portem. Nam et si onerosa

sentitur praesens vita: facta est tamen iam per gratiam tuam valde meritoria, atque exemplo tuo et sanctorum tuorum vestigiis infirmis tolerabilior et clarior; sed et multo magis consolatoria quam olim in lege veteri fuerat: cum porta caeli clausa persisteret, et obscurior etiam via ad caelum videbatur; quando tam pauci regnum caelorum quaerere curabant: sed neque qui tunc iusti erant et salvandi ante passionem tuam et sacrae mortis debitum caeleste regnum poterant introire. O quantas tibi gratias teneor referre: quod viam rectam et bonam dignatus es mihi et cunctis fidelibus ad aeternum regnum tuum ostendere. Nam vita tua via nostra: et per sanctam patientiam ambulamus ad te qui es corona nostra. Nisi tu nos praecessisses et docuisses; quis sequi curaret? Heu quanti longe retroque manerent: nisi tua praeclara exempla inspicerent. Ecce adhuc tepescimus auditis tot signis tuis et doctrinis; quid fieret si tantum lumen ad sequendum te non haberemus?

DE TOLERANTIA INIVRIARVM ET QVIS VERVS PATIENS PROBETVR.

CAPITVLVM XIX.

QVid est quod loqueris fili? Cessa conqueri: considerata mea et aliorum sanctorum passione. Nondum usque ad sanguinem restitisti. Parum est quod tu pateris in comparatione eorum qui tam multa passi sunt, tam fortiter temptati, tam graviter tribulati: tam multipliciter probati et exercitati. Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere: ut levius feras tua minima. Et si tibi minima non videntur: vide ne et hoc tua faciat impatientia. Sive tamen parva sive magna sint: stude cuncta patienter sufferre. Quanto melius ad patiendum te disponis: tanto sapientius agis et amplius promereris; feres quoque levius: animo et usu ad hoc non segniter paratis. Nec dicas, non valeo haec ab homine tali pati; nec huiuscemodi mihi patienda sunt, grave enim intulit damnum, et improperat mihi quae numquam cogitaveram: sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio, quae virtutem patientiae non considerat, nec a quo coronanda erit: sed magis personas et offensas sibi illatas

perpendit. Non est verus patiens qui pati non vult nisi quantum sibi visum fuerit: et a quo sibi placuerit. Verus autem patiens non attendit a quo homine utrum a praelato suo, an ab aliquo aequali aut inferiori: utrum a bono et sancto viro vel a perverso et indigno exerceatur; sed indifferenter ab omni creatura quantumcumque et quotienscumque ei aliquid adversi acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter accipit et ingens lucrum reputat: quia nil apud Deum quamlibet parvum pro Deo tamen passum poterit sine merito transire. Esto itaque expeditus ad pugnam: si vis habere victoriam. Sine certamine, non potes venire ad patientiae coronam. Si pati non vis: recusas coronari. Si autem coronari desideras: certa viriliter, sustine patienter. Sine labore non tenditur ad requiem: nec sine pugna pervenitur ad victoriam. Fiat Domine mihi possibile per gratiam: quod mihi impossibile videtur per naturam. Tu scis quod modicum possum pati: et quod cito deicior levi exurgente adversitate. Efficiatur mihi quaelibet exercitatio tribulationis pro nomine tuo amabilis et optabilis: nam pati et vexari pro te, valde salubre est animae meae.

DE CONFESSIONE PROPRIAE INFIRMITATIS ET HVIVS VITAE MISERIIS.

CAPITVLVM XX.

CONfitebor adversum me iniustitiam meam: confitebor tibi Domine infirmitatem meam. Saepe parva res est: quae me deicit et contristat. Propono me fortiter acturum; sed cum modica temptatio venerit: magna mihi angustia fit. Valde vilis quandoque res est: unde gravis temptatio provenit. Et dum puto me aliquantulum tutum cum non sentio: invenio me nonnumquam paene devictum ex levi flatu. Vide ergo Domine humilitatem meam et fragilitatem tibi undique notam; miserere et eripe me de luto ut non infigar: ne permaneam deiectus usquequaque. Hoc est quod me frequenter reverberat et coram te confundit: quod tam labilis sum et infirmus ad resistendum passionibus. Et si non omnino ad consensionem; tamen mihi etiam molesta et gravis est earum insectatio: et taedet valde sic cotidie vivere in lite. Ex hinc nota mihi fit infirmitas mea: quia multo facilius irruunt abominandae semper phantasiae quam discedunt. Vtinam fortissime Deus Israel zelator animarum fidelium

respicias servi tui laborem et dolorem: assistasque illi in omnibus ad quaecumque perrexerit. Robora me caelesti fortitudine; ne vetus homo misera caro spiritui necdum plene subacta praevaleat dominari: adversus quam certare oportebit, quamdiu spiratur in hac vita miserrima. Heu qualis est haec vita; ubi non desunt tribulationes et miseriae, ubi plena laqueis et hostibus sunt omnia? Nam una tribulatione seu temptatione recedente alia accedit; sed et priore adhuc durante conflictu: alii plures superveniunt et insperate. Et quomodo potest amari vita tantas habens amaritudines; tot subiecta calamitatibus et miseriis? Quomodo etiam dicitur vita; tot generans mortes et pestes? Et tamen amatur: et delectari in ea a multis quaeritur. Reprehenditur frequenter mundus quod fallax sit et vanus; nec tamen facile relinquitur: quia concupiscentiae carnis nimis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum: alia ad contemnendum. Trahunt ad amorem mundi, desiderium carnis, desiderium oculorum et superbia vitae: sed poenae ac miseriae iuste sequentes ea, odium mundi pariunt et taedium. Sed vincit pro dolor delectatio prava mentem mundo deditam; et esse sub sentibus delicias reputat: quia Dei suavitatem et internam

virtutis amoenitatem nec vidit nec gustavit. Qui autem mundum perfecte contemnunt, et Deo vivere sub sancta disciplina student; isti divinam dulcedinem veris abrenuntiatoribus promissam non ignorant: et quam graviter mundus errat et varie fallitur, clarius vident.

QVOD IN DEO SVPER OMNIA BONA ET DONA REQVIESCENDVM EST.

CAPITVLVM XXI.

SVper omnia et in omnibus requiesces anima mea in Domino semper: quia ipse sanctorum aeterna requies. Da mihi dulcissime et amantissime Iesu in te super omnem creaturam requiescere; super omnem salutem et pulchritudinem, super omnem gloriam et honorem: super omnem potentiam et dignitatem, super omnem scientiam et subtilitatem; super omnes divitias et artes, super omnem laetitiam et exultationem: super omnem famam et laudem, super omnem suavitatem et consolationem; super omnem spem et promissionem, super omne meritum et desiderium: super omnia dona et munera quae potes dare et infundere; super omne gaudium et iubilationem, quam potest mens capere et sentire: denique super angelos et archangelos et

super omnem exercitum caeli; super omnia visibilia et invisibilia: et super omne quod tu Deus meus non es. Quia tu Domine Deus meus super omnia optimus es: tu solus altissimus tu solus potentissimus; tu solus sufficientissimus, et plenissimus: tu solus suavissimus et solaciosissimus, tu solus pulcherrimus et amantissimus; tu solus nobilissimus et gloriosissimus super omnia: in quo cuncta bona simul et perfecte sunt et semper fuerunt et erunt; atque ideo minus est et insufficiens quidquid praeter te ipsum mihi donas: aut de te ipso revelas vel promittis te non viso nec plene adepto. Quoniam quidem non potest cor meum veraciter requiescere nec totaliter contentari, nisi in te requiescat: et omnia dona, omnemque creaturam transcendat.

O mi dilectissime sponse Iesu Christe amator purissime dominator universae creaturae; quis mihi det pennas verae libertatis ad volandum et pausandum in te? O quando ad plenum dabitur mihi vacare et videre quam suavis es Domine Deus meus? Quando ad plenum me recolligam in te: ut prae amore tuo non sentiam me, sed te solum supra omnem sensum et modum: in modo non omnibus noto. Nunc autem frequenter gemo: et infelicitatem meam cum dolore porto.

Quia multa mala in hac valle miseriarum occurrunt quae me saepius conturbant contristant et obnubilant; saepius impediunt et distrahunt, alliciunt et implicant: ne liberum habeam accessum ad te, et ne iucundis fruar amplexibus praesto semper beatis spiritibus. Moveat te suspirium meum et desolatio multiplex in terra: o Iesu splendor aeternae gloriae, solamen peregrinantis animae. Apud te est os meum sine voce: et silentium meum loquitur tibi. Vsquequo tardat venire Dominus meus? Veniat ad me pauperculum suum: et laetum faciat. Mittat manum suam: et miserum eripiat de omni angustia. Veni veni: quia sine te nulla erit laeta dies aut hora: quia tu laetitia mea et sine te vacua est mensa mea. Miser sum et quodammodo incarceratus et compedibus gravatus; donec luce praesentiae tuae me reficias ac libertati dones: vultumque amicabilem demonstres. Quaerant alii pro te aliud quodcumque libuerit; mihi aliud interim nil placet nec placebit: nisi tu Deus meus spes mea, salus aeterna. Non reticebo nec deprecari cessabo; donec gratia tua revertatur: mihique tu intus loquaris. Ecce assum; ecce ego ad te: quia invocasti me. Lacrimae tuae et desiderium animae tuae: humiliatio tua et contritio

cordis inclinaverunt me et adduxerunt ad te. Et dixi. Domine vocavi te, et desideravi frui te: paratus omnia respuere propter te. Tu enim prior excitasti me: ut quaererem te. Sis ergo benedictus Domine: qui fecisti hanc bonitatem cum servo tuo secundum multitudinem misericordiae tuae. Quid habet ultra dicere servus tuus coram te: nisi ut humiliet se valde ante te, memor semper propriae iniquitatis et vilitatis? Non enim est similis tui: in cunctis mirabilibus caeli et terrae. Sunt opera tua bona valde; iudicia vera: et providentia tua reguntur universa. Laus ergo tibi et gloria o Patris sapientia; te laudet et benedicat os meum: anima mea et cuncta creata simul.

DE RECORDATIONE MVLTIPLICIVM BENEFICIORVM DEI.

CAPITVLVM XXII.

APeri Domine cor meum in lege tua: et in praeceptis tuis doce me ambulare. Da mihi intellegere voluntatem tuam; et cum magna reverentia ac diligenti consideratione beneficia tua tam in generali quam in speciali memorari: ut digne tibi ex hinc valeam gratias referre. Verum scio et confiteor: nec pro minimo

puncto me posse debitas gratiarum laudes persolvere. Minor ego sum omnibus bonis mihi praestitis; et cum tuam nobilitatem attendo: deficit prae magnitudine spiritus meus. Omnia quae in anima habemus et corpore, et quaecumque exterius vel interius naturaliter vel supernaturaliter possidemus tua sunt beneficia; et te beneficum pium ac bonum commendant: a quo bona cuncta accepimus. Et si alius plura alius pauciora accepit; omnia tamen tua sunt: et sine te nec minimum potest haberi. Ille qui maiora accepit non potest merito suo gloriari: neque super alios extolli, nec minori insultare; quia ille maior et melior qui sibi minus ascribit: et in regratiando humilior est atque devotior. Et qui omnibus viliorem se existimat et indignio-rem se iudicat: aptior est ad percipienda maiora. Qui autem pauciora accepit: contristari non debet nec indignanter ferre, neque ditiori invidere; sed te potius attendere et tuam bonitatem maxime laudare: quod tam affluenter, tam gratis et libenter sine personarum acceptione tua munera largiris. Omnia ex te: et ideo in omnibus es laudandus. Tu scis quid unicuique donari expediat; et cur iste minus et ille amplius habeat, non nostrum sed tuum est hoc discernere: apud quem

singulorum definita sunt merita. Vnde Domine Deus pro magno etiam reputo beneficio non multa habere unde exterius et secundum homines laus et gloria apparet: ita ut considerata quis paupertate et vilitate personae suae non modo gravitatem aut tristitiam vel deiectionem inde concipiat; sed potius consolationem et hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes et humiles atque huic mundo despectos, tibi elegisti in familiares et domesticos. Testes sunt ipsi apostoli tui: quos principes super omnem terram constituisti. Fuerunt tamen sine querela conversati in mundo: tam humiles et simplices sine omni malitia et dolo; ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo: et quae mundus abhorret ipsi amplecterentur affectu magno. Nihil ergo amatorem tuum et cognitorem beneficiorum tuorum ita laetificare debet: sicut voluntas tua in eo et beneplacitum aeternae dispositionis tuae; de qua tantum contentari debet et consolari: ut ita libenter velit esse minimus sicut aliquis optaret esse maximus; et ita pacificus et contentus in novissimo sicut in loco primo: atque ita libenter despicabilis et abiectus nullius quoque nominis et famae, sicut ceteris honorabilior et maior in mundo. Nam voluntas tua et amor honoris tui

omnia excedere debet; et plus eum consolari magisque placere: quam omnia beneficia sibi data vel danda.

DE QVATVOR MAGNAM IMPORTANTIBVS PACEM.

CAPITVLVM XXIII.

FIlli, nunc docebo te viam pacis et verae libertatis. Fac Domine quod dicis: quia hoc mihi gratum est audire. Stude fili alterius potius facere voluntatem quam tuam. Elige semper minus quam plus habere. Quaere semper inferiorem locum: et omnibus subesse. Opta semper et ora: ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis et quietis. Domine sermo tuus iste brevis: multum in se continet perfectionis. Parvus est dictu: sed plenus sensu et uber in fructu. Nam si posset a me fideliter custodiri: non deberet tam facilis in me turbatio oriri. Nam quotiens me impacatum sentio et gravatum: ab hac doctrina me recessisse invenio. Sed tu qui omnia potes et animae profectum semper diligis; adauge maiorem gratiam: ut possim tuum complere sermonem, et meam perficere salutem.

ORATIO CONTRA COGITATIONES MALAS.

DOmine Deus meus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice; quoniam insurrexerunt in me variae cogitationes et timores magni: affligentes animam meam. Quomodo pertransibo illaesus? Quomodo perfringam eas? Ego inquit ante te ibo: et gloriosos terrae humiliabo. Aperiam ianuas carceris: et arcana secretorum revelabo tibi. Fac Domine ut loqueris: et fugiant a facie tua omnes iniquae cogitationes. Haec spes et unica consolatio mea, ad te in omni tribulatione confugere; tibi confidere, ex intimo invocare: et patienter consolationem tuam expectare.

ORATIO PRO ILLVMINATIONE MENTIS.

CLarifica me Iesu bone claritate interni luminis: et educ de habitaculo cordis mei tenebras universas. Cohibe evagationes multas: et vim facientes elide temptationes. Pugna fortiter pro me et expugna malas bestias concupiscentias dico illecebrosas; ut fiat pax in virtute tua: et abundantia laudis tuae resonet in aula sancta hoc est in conscientia pura. Impera ventis et tem-

pestatibus; dic mari quiesce, et aquiloni ne flaveris: et erit tranquillitas magna. Emitte lucem tuam et veritatem ut luceant super terram; quia terra sum inanis et vacua: donec illumines me. Effunde gratiam desuper, perfunde cor meum rore caelesti; ministra devotionis aquas, ad irrigandam faciem terrae: ad producendum fructum bonum et optimum. Eleva mentem pressam mole peccatorum: et ad caelestia totum desiderium meum suspende; ut gustata suavitate supernae felicitatis: pigeat de terrenis cogitare. Rape me et eripe ab omni creaturarum indurabili consolatione: quia nulla res creata appetitum meum valet plenarie quietare et consolari. Iunge me tibi inseparabili dilectionis vinculo; quoniam tu solus sufficis amanti: et absque te frivola sunt universa.

DE EVITATIONE CVRIOSAE INQVISITIONIS SVPER ALTERIVS VITA.

CAPITVLVM XXIIII.

Fili, noli esse curiosus: nec vacuas gerere sollicitudines. Quid hoc vel illud ad te: tu me sequere. Quid enim ad te utrum ille sit talis vel talis; aut iste sic et sic agit vel loquitur? Tu

non indiges respondere pro aliis: sed pro te ipso rationem reddes. Quid ergo te implicas? Ecce ego omnes cognosco et cuncta quae sub sole fiunt video; et scio qualiter cum unoquoque sit, quid cogitet, quid velit: et ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur omnia committenda sunt, tu vero serva te in bona pace: et dimitte agitantem agitare quantum voluerit. Veniet super eum quidquid fecerit vel dixerit: quia me fallere non potest. Non sit tibi curae de magni nominis umbra; non de multorum familiaritate: nec de privata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones: et magnas in corde obscuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum et abscondita revelarem; si adventum meum diligenter observares: et ostium cordis mihi aperires. Esto providus, et vigila in orationibus: et humilia te in omnibus.

IN QVIBVS FIRMA PAX CORDIS ET VERVS PROFECTVS CONSISTIT.

CAPITVLVM XXV.

Filii. Ego locutus sum pacem relinquo vobis pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat ego do vobis. Pacem omnes desiderant: sed quae ad veram pacem pertinent non omnes curant.

Pax mea cum humilibus et mansuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris et vocem meam secutus fueris: poteris multa pace frui. Quid igitur faciam? In omni re attende tibi quid facias et quid dicas; et omnem intentionem tuam ad hoc dirige, ut mihi soli placeas: et extra me nihil cupias vel quaeras; sed et de aliorum dictis vel factis nil temere iudices, nec cum rebus tibi non commissis te implices: et poterit fieri ut parum vel raro turberis. Numquam autem sentire aliquam turbationem, nec aliquam pati cordis vel corporis molestiam; non est praesentis temporis: sed status aeternae quietis. Non ergo aestimes te veram pacem invenisse si nullam senseris gravitatem; nec tunc totum esse bonum, si neminem pateris adversarium: nec hoc esse perfectum si cuncta fiant secundum tuum affectum; neque tunc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectum existimes: si in magna fueris devotione atque dulcedine; quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis: nec in istis consistit profectus et perfectio hominis. In quo ergo Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinae; non quaerendo quae tua sunt nec in parvo nec in magno, nec in tempore nec in aeternitate; ita ut una aequali

facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera et contraria: omnia aequa lance pensando. Si fueris tam fortis et longanimus in spe, ut subtracta interiori consolatione, etiam ad ampliora sustinenda cor tuum praeparaveris; nec te iustificaveris quasi haec tantaque pati non deberes: sed me in omnibus dispositionibus iustificaveris et sanctum laudaveris; tunc in vera et recta via pacis ambulas: et spes indubitata erit, quod rursus in iubilo faciem meam sis visurus. Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris: scito quod tunc abundantia pacis perfrueris secundum possibilitatem tui incolatus.

DE EMINENTIA LIBERAE MENTIS QVAM SVPPLEX ORATIO MAGIS MERETVR QVAM LECTIO.

CAPITVLVM XXVI.

DOmine hoc opus est perfecti viri: numquam ab intentione caelestium animum relaxare; et inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed praerogativa quadam liberae mentis: nulli creaturae inordinata affectione adhaerendo.

Obsecro te piissime Deus meus praeserva me a curis huius vitae ne nimis

implicer; a multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar: ab universis animae obstaculis, ne molestiis fractus deiciar. Non dico ab his rebus quas toto affectu ambit vanitas mundana; sed ab his miseriis quae animam servi tui communi maledicto mortalitatis poenaliter gravant et retardant: ne in libertatem spiritus quotiens libuerit valeat introire.

O Deus meus dulcedo ineffabilis; verte mihi in amaritudinem, omnem consolationem carnalem ab aeternorum amore me abstrahentem: et ad se intuitu cuiusdam boni delectabilis praesentis male allicientem. Non me vincat Deus meus non vincat caro et sanguis; non me decipiat mundus et brevis gloria eius: non me supplantet diabolus et astutia illius. Da mihi fortitudinem resistendi; patientiam tolerandi: constantiam perseverandi. Da pro omnibus mundi consolationibus suavissimam spiritus tui unctionem: et pro carnali amore tui nominis infunde amorem. Ecce cibus potus vestis, ac cetera utensilia ad corporis sustentaculum pertinentia: ferventi spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomentis temperate uti: non desiderio nimio implicari. Abicere omnia non licet: quia natura sustentanda est. Requirere autem superflua et quae magis delectant lex sancta prohibet: nam

alias caro adversus spiritum insolesceret. Inter haec quaeso manus tua me regat et doceat: ne quid nimium fiat.

QVOD PRIVATVS AMOR A SVMMO BONO MAXIME RETARDAT.

CAPITVLVM XXVII.

Fili. Oportet te dare totum pro toto: et nihil tui ipsius esse. Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi: quam aliqua res mundi. Secundum amorem et affectum quem geris: quaelibet res plus vel minus adhaeret. Si fuerit amor tuus purus simplex et bene ordinatus: eris sine captivitate rerum. Noli concupiscere: quod non licet habere. Noli habere: quod te potest impedire et libertate interiori privare. Mirum quod non ex toto fundo cordis te ipsum mihi committis cum omnibus quae desiderare potes vel habere. Quare vano maerore consumeris; cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum: et nullum patieris detrimentum. Si quaeris hoc vel illud, et volueris esse ibi vel ibi propter tuum commodum et proprium beneplacitum magis habendum: numquam eris in quietudine, nec liber a sollicitudine; quia in omni re reperietur aliquis defectus: et in omni loco erit qui

adversetur. Iuvat igitur non quaelibet res adepta vel multiplicata exterius: sed potius contempta et decisa ex corde radicitus. Quod non tantum de censu aeris et divitiarum intellegas; sed de honoris etiam ambitu ac vanae laudationis desiderio: quae omnia transeunt cum mundo. Munit parum locus: si deest spiritus fervoris. Nec diu stabit pax illa quaesita forinsecus: si vacat a vero fundamento status cordis. Hoc est nisi steteris in me: permutare te potes sed non meliorare. Nam occasione orta et accepta: invenies quod fugisti et amplius.

ORATIO PRO PVRGATIONE CORDIS ET CAELESTI SAPIENTIA.

CONfirma me Deus per gratiam sancti Spiritus. Da virtutem corroborari in interiori homine et cor meum ab omni inutili sollicitudine et angore evacuare; nec variis desideriis trahi cuiuscumque rei vilis aut pretiosi: sed omnia inspicere sicut transeuntia, et me pariter cum illis transiturum; quia nihil permanens sub sole: ubi omnia vanitas et afflictio spiritus. O quam sapiens qui ita considerat. Da mihi Domine caelestem sapientiam ut discam te super omnia quaerere et invenire; super omnia sapere et diligere:

et cetera secundum ordinem sapientiae tuae prout sunt intellegere. Da prudenter declinare blandientem: et patienter ferre adversantem; quia haec magna sapientia, non moveri omni vento verborum, nec aurem male blandienti praebere Sirenae: sic enim incepta pergitur via secure.

CONTRA LINGVAS OBTRECTATORVM.

CAPITVLVM XXVIII.

FIli. Non aegre feras si quidam de te male senserint: et dixerint quod non libenter audias. Tu deteriora de te ipso sentire debes: et neminem infirmiorem te credere. Si ambulas ab intra: non multum ponderabis volantia verba. Est non parva prudentia silere in tempore malo et introrsus ad me converti: nec humano iudicio disturbari. Non sit pax tua in ore hominum. Sive enim bene sive male interpretati fuerint: non es ideo alter homo. Vbi est vera pax et vera gloria? Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere nec timet displicere: multa perfruetur pace. Ex inordinato amore et vano timore: oritur omnis inquietudo cordis et distractio sensuum.

QVALITER INSTANTE TRIBVLATIONE DEVS INVOCANDVS EST ET BENEDICENDVS.

CAPITVLVM XXIX.

SIt nomen tuum Domine benedictum in saecula: qui voluisti hanc temptationem et tribulationem venire super me. Non possum eam effugere; sed necesse habeo ad te confugere: ut me adiuves et in bonum mihi convertas. Domine, modo sum in tribulatione; et non est cordi meo bene: sed multum vexor a praesenti passione. Et nunc Pater dilecte quid dicam? Deprehensus sum inter angustias. Salvifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris: cum fuero valide humiliatus et per te liberatus. Complaceat tibi Domine ut eruas me: nam ego pauper quid agere possum; et quo ibo sine te? Da patientiam Domine: etiam hac vice. Adiuva me Deus meus: et non timebo quantumcumque gravatus fuero. Et nunc inter haec quid dicam? Domine fiat voluntas tua: ego bene merui tribulari et gravari. Oportet utique ut sustineam; et utinam patienter: donec transeat tempestas et melius fiat. Potens est autem omnipotens manus tua etiam hanc temptationem a me

auferre; et eius impetum mitigare ne penitus succumbam: quemadmodum et prius saepius egisti mecum Deus meus misericordia mea. Et quanto mihi difficilius: tanto tibi facilior est haec mutatio dexterae Excelsi.

DE DIVINO PETENDO AVXILIO ET CONFIDENTIA RECVPERANDAE GRATIAE.

CAPITVLVM XXX.

Fili. Ego Dominus confortans in die tribulationis. Venias ad me: cum tibi non fuerit bene. Hoc est quod maxime consolationem impedit caelestem: quia tardius te convertis ad orationem. Nam antequam me intente roges; multa interim solacia quaeris: et recreas te in externis. Ideoque fit ut parum omnia prosint; donec advertas quia ego sum qui eruo sperantes in me: nec est extra me valens auxilium; neque utile consilium: sed neque durabile remedium. Sed iam resumpto spiritu post tempestatem, reconvalesce in luce miserationum mearum; quia prope sum dicit Dominus ut restaurem universa non solum integre: sed et abundanter ac cumulate. Numquid mihi quicquam est difficile; aut ero similis dicenti et non facienti? Vbi est fides tua?

Sta firmiter, et perseveranter. Esto longanimis, et vir fortis: veniet tibi consolatio in tempore suo. Expecta me expecta: veniam et curabo te. Temptatio est quae te vexat: et formido vana quae te exterret. Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus; nisi ut tristitiam super tristitiam habeas? Sufficiat diei malitia sua. Vanum est et inutile de futuris conturbari vel gratulari: quae forte numquam evenient. Sed humanum est huiusmodi imaginationibus illudi; et parvi adhuc animi signum: tam leviter trahi ad suggestionem inimici. Ipse enim non curat utrum veris an falsis illudat et decipiat: utrum praesentium amore, aut futurorum formidine prosternat. Non ergo turbetur cor tuum: neque formidet. Crede in me: et in misericordia mea habeto fiduciam. Quando tu putas te elongatum a me: saepe sum propinquior. Quando tu aestimas paene totum perditum: tunc saepe maius merendi instat lucrum. Non est totum perditum: quando res accidit in contrarium. Non debes iudicare secundum praesens sentire; nec sic gravitati alicui undecumque venienti inhaerere et accipere: tamquam omnis spes sit ablata emergendi. Noli putare te relictum ex toto; quamvis ad tempus tibi miserim aliquam tribulationem: vel etiam optatam subtraxerim con-

solationem. Sic enim transitur ad regnum caelorum. Et hoc sine dubio magis expedit tibi et ceteris servis meis ut exercitemini adversis: quam si cuncta ad libitum haberetis. Ego novi cogitationes absconditas: quia multum expedit pro salute tua ut interdum sine sapore relinquaris; ne forte eleveris in bono successu: et tibi ipsi placere velis in eo quod non es. Quod dedi auferre possum: et restituere cum mihi placuerit. Cum dedero meum est: cum retraxero tuum non tuli; quia meum est omne datum bonum: et omne donum perfectum. Si tibi admisero gravitatem aut quamlibet contrarietatem: ne indigneris, neque concidat cor tuum; ego cito sublevare possum: et omne onus in gaudium transmutare. Verumtamen iustus sum, et recommendabilis multum: cum sic facio tecum. Si recte sapis et in veritate aspicis: numquam debes propter adversa tam deiecte contristari; sed magis gaudere et gratias agere, immo hoc unicum reputare gaudium: quod affligens te doloribus non parco tibi. Sicut dilexit me Pater, et ego vos diligo, dixi dilectis discipulis meis: quos utique non misi ad gaudia temporalia sed ad magna certamina; non ad honores, sed ad despectiones: non ad otium sed ad labores; non ad requiem: sed ad afferendum fructum

multum in patientia. Horum memento fili mi verborum.

DE NEGLECTV OMNIS CREATVRAE VT CREATOR POSSIT INVENIRI.

CAPITVLVM XXXI.

DOmine, bene indigeo adhuc maiori gratia, si debeam illuc pervenire: ubi me nemo poterit nec ulla creatura impedire. Nam quamdiu res aliqua me retinet: non possum libere ad te volare. Cupiebat libere volare: qui dicebat. Quis dabit mihi pennas sicut columbae; et volabo et requiescam? Quid simplici oculo quietius? Et quid liberius; nil desiderante in terris? Oportet igitur omnem supertransire creaturam et se ipsum perfecte deserere: ac in excessu mentis stare et videre te omnium conditorem cum creaturis nil simile habere. Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus: non poterit libere intendere divinis. Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi: quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrari. Ad hoc magna requiritur gratia: quae animam levet, et supra semet ipsam rapiat. Et nisi homo sit in spiritu elevatus et ab omnibus creaturis liberatus ac Deo totus unitus; quidquid scit, quid-

quid etiam habet: non est magni ponderis. Diu parvus erit et infra iacebit: qui aliquid magnum aestimat nisi solum unum immensum aeternum bonum. Et quidquid Deus non est: nihil est, et pro nihilo computari debet. Est magna differentia, sapientia illuminati et devoti viri: et scientia litterati atque studiosi clerici. Multo nobilior est illa doctrina quae desursum ex divina influentia manat: quam quae laboriose humano acquiritur ingenio. Plures reperiuntur contemplationem desiderare: sed quae ad eam requiruntur non student exercere. Est magnum impedimentum quia in signis et sensibilibus rebus statur: et parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid est, quo spiritu ducimur, et quid praetendimus qui spirituales dici videmur; quod tantum laborem et ampliorem sollicitudinem pro transitoriis et vilibus rebus agimus: et de interioribus nostris vix raro plene recollectis sensibus cogitamus. Pro dolor statim post modicam recollectionem foras erumpimus: nec opera nostra districta examinatione trutinamus. Vbi iacent affectus nostri non attendimus: et quam impura sint omnia non deploramus. Omnis quippe caro corruperat viam suam: et ideo sequebatur diluvium magnum. Cum ergo interior affectus noster multum cor-

ruptus sit: necesse est ut actio sequens index carentiae interioris vigoris corrumpatur. Ex puro corde procedit fructus bonae vitae. Quantum quis fecerit quaeritur: sed ex quanta virtute agit non tam studiose pensatur. Si fuerit fortis dives pulcher habilis vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator investigatur: quam pauper sit spiritu, quam patiens et mitis, quam devotus et internus a multis tacetur. Natura exteriora hominis respicit: gratia ad interiora se convertit. Illa frequenter fallitur: ista in Deo sperat ut non decipiatur.

DE ABNEGATIONE SVI ET ABDICATIONE OMNIS CVPIDITATIS.

CAPITVLVM XXXII.

FIli non potes perfectam possidere libertatem: nisi totaliter abneges temet ipsum. Compediti sunt omnes proprietarii et sui ipsius amatores, cupidi curiosi gyrovagi, quaerentes semper mollia non quae Iesu Christi: sed hoc saepe fingentes et componentes quod non stabit. Peribit enim totum: quod non est ex Deo ortum. Tene breve et consummatum verbum. Dimitte omnia et invenies omnia; relinque cupidinem: et reperies requiem.

Hoc mente pertracta: et cum impleveris intelleges omnia. Domine, hoc non est opus unius diei, nec ludus parvulorum: immo in hoc brevi includitur omnis perfectio religiosorum. Fili non debes averti nec statim deici audita via perfectorum; sed magis ad sublimiora provocari: et ad minus ad haec ex desiderio suspirare. Vtinam sic tecum esset et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses: sed ad nutum meum pure stares, et eius quem tibi praeposui patris; tunc mihi valde placeres: et tota vita tua in gaudio et pace transiret. Adhuc multa habes ad relinquendum; quae nisi mihi ex integro resignaveris: non acquires quod postulas. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum ut locuples fias: id est caelestem sapientiam omnia infima conculcantem. Postpone terrenam sapientiam: omnem humanam et propriam complacentiam. Dixi viliora tibi emenda pro pretiosis et altis in rebus humanis; nam valde vilis et parva, ac paene oblivioni tradita videtur vera caelestis sapientia: non sapiens alta de se nec magnificari quaerens in terra; quam multi ore tenus praedicant, sed vita longe dissentiunt: ipsa tamen est pretiosa margarita a multis abscondita.

DE INSTABILITATE CORDIS ET DE INTENTIONE FINALI AD DEVM HABENDA.

CAPITVLVM XXXIII.

FIli noli credere affectui tuo qui nunc est: cito mutabitur in aliud. Quamdiu vixeris mutabilitati subiectus es etiam nolens; ut modo laetus modo tristis, modo pacatus modo turbatus: nunc devotus nunc indevotus; nunc studiosus nunc acediosus: nunc gravis nunc levis inveniaris. Sed stat super haec mutabilia sapiens et bene doctus in spiritu; non attendens quid in se sentiat vel qua parte flet ventus instabilitatis: sed ut tota intentio mentis eius ad debitum et optatum proficiat finem. Nam sic poterit unus et idem inconcussusque permanere: simplici intentionis oculo per tot varios eventus ad me inpraetermisse directo. Quanto autem purior fuerit intentionis oculus: tanto constantius inter diversas itur procellas. Sed in multis caligat oculus purae intentionis: respicitur enim cito in aliquod delectabile quod occurrit: nam et raro totus liber quis invenitur a naevo propriae exquisitionis. Sic Iudaei olim venerant in Bethaniam ad Martham et Mariam, non propter Iesum tantum: sed et ut Lazarum viderent. Mun-

dandus est ergo intentionis oculus ut sit simplex et rectus: atque ultra omnia varia media ad me dirigendus.

QVOD AMANTI SAPIT DEVS SVPER OMNIA ET IN OMNIBVS.

CAPITVLVM XXXIIII.

ECce Deus meus et omnia. Quid volo amplius; et quid felicius desiderare possum? O sapidum et dulce verbum; sed amanti Verbum: non mundum nec ea quae in mundo sunt. Deus meus et omnia. Intellegenti satis dictum est: et saepe repetere iucundum est amanti. Te siquidem praesente iucunda sunt omnia: te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum et pacem magnam: laetitiamque festivam. Tu facis bene sentire de omnibus et in omnibus te laudare: nec potest aliquid sine te diu placere; sed si debet gratum esse et bene sapere: oportet gratiam tuam adesse, et condimento tuae sapientiae condiri. Cui tu sapis, quid ei recte non sapiet? Et cui tu non sapis; quid ei ad iucunditatem esse poterit? Sed deficiunt in sapientia tua mundi sapientes et qui carnem sapiunt: quia ibi plurima vanitas, et hic mors invenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum et carnis morti-

ficationem sequuntur; vere sapientes esse cognoscuntur: quia de vanitate ad veritatem de carne ad spiritum transferuntur. Istis sapit Deus; et quidquid boni invenitur in creaturis: totum ad laudem referunt sui conditoris. Dissimilis tamen et multum dissimilis sapor creatoris et creaturae, aeternitatis et temporis: lucis increatae et lucis illuminatae. O lux perpetua, cuncta creata transcendens lumina: fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia cordis mei intima. Purifica laetifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis: ad inhaerendum tibi iubilosis excessibus. O quando veniet haec beata et desiderabilis hora; ut tua me saties praesentia: et sis mihi omnia in omnibus. Quamdiu hoc datum non fuerit: nec plenum gaudium erit. Adhuc pro dolor vivit in me vetus homo: non est totus crucifixus, non est perfecte mortuus; adhuc concupiscit fortiter contra spiritum, bella movet intestina: nec regnum animae patitur esse quietum. Sed tu qui dominaris potestatis maris et motum fluctuum eius mitigas: exurge adiuva me. Dissipa gentes quae bella volunt: contere eas in virtute tua; ostende quaeso magnalia tua: et glorificetur dextera tua; quia non est spes alia nec refugium mihi: nisi in te Domine Deus meus.

QVOD NON EST SECVRITAS A TEMPTATIONE IN HAC VITA.

CAPITVLVM XXXV.

FIli. Numquam securus es in hac vita: sed quoad vixeris semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris: et a dextris et a sinistris impugnaris. Si ergo non uteris undique scuto patientiae: non eris diu sine vulnere. Insuper si non ponis cor tuum fixe in me cum mera voluntate cuncta patiendi propter me: non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere beatorum. Oportet te ergo viriliter omnia pertransire: et potenti manu uti adversus obiecta. Nam vincenti datur manna: et torpenti relinquitur multa miseria.

Si quaeris in hac vita requiem; quomodo tunc pervenies ad aeternam requiem? Non ponas te ad multam requiem: sed ad magnam patientiam. Quaere veram pacem non in terris sed in caelis; non in hominibus nec in ceteris creaturis: sed in Deo solo. Pro amore Dei debes omnia libenter subire, labores scilicet et dolores; temptationes, vexationes anxietates necessitates infirmitates iniurias oblocutiones reprehensiones humiliationes: confusiones correctiones et despectiones.

Haec iuvant ad virtutem; haec probant Christi tironem: haec fabricant caelestem coronam. Ego reddam mercedem aeternam pro brevi labore: et infinitam gloriam pro transitoria confusione.

Putas tu quod semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non semper habuerunt tales; sed multas gravitates et temptationes varias: magnasque desolationes. Sed patienter sustinuerunt se in omnibus; et magis confisi sunt Deo quam sibi: scientes quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam promerendam. Vis tu statim habere; quod multi post multas lacrimas et magnos labores vix optinuerunt? Expecta Dominum viriliter age, et confortare; noli diffidere noli discedere: sed corpus et animam expone constanter pro gloria Dei. Ego reddam plenissime: ego tecum ero in omni tribulatione.

CONTRA VANA HOMINVM IVDICIA.

CAPITVLVM XXXVI.

FIlli. Iacta cor tuum firmiter in Domino; et humanum ne metuas iudicium: ubi te conscientia pium reddit et insontem. Bonum est et beatum taliter pati: nec hoc erit grave humili cordi,

et Deo magis quam sibi ipsi confidenti. Multi multa loquuntur: et ideo parva fides est adhibenda. Sed et omnibus satis esse: non est possibile. Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere, et omnibus omnia factus est: tamen etiam pro minimo duxit quod ab humano die iudicatus fuit. Egit satis pro aliorum aedificatione et salute quantum in se erat et poterat: sed ne ab aliis aliquando iudicaretur vel non despiceretur, cohibere non potuit. Ideo totum Deo commisit qui totum noverat: et patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium atque pro libitu suo quaeque iactantium se defendit. Respondit tamen interdum: ne infirmis ex sua taciturnitate generaretur scandalum. Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est: et cras non comparet. Deum time: et hominum terrores non expavesces. Quid potest aliquis in te verbis aut iniuriis? Sibi potius nocet quam tibi: nec poterit iudicium Dei effugere quicumque est ille. Tu habe Deum prae oculis: et noli contendere verbis querulosis. Quod si ad praesens tu videris succumbi, et confusionem pati quam non meruisti: ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam; sed ad me potius respice in caelum, qui potens sum eripere

ab omni confusione et iniuria: et unicuique reddere secundum opera sua.

DE PVRA ET INTEGRA RESIGNATIONE SVI AD OPTINENDAM CORDIS LIBERTATEM.

CAPITVLVM XXXVII.

FIli. Relinque te: et invenies me. Sta sine electione et omni proprietate: et lucraberis semper. Nam et adicietur tibi amplior gratia: statim ut te resignaveris, nec resumpseris. Domine quotiens me resignabo; et in quibus me relinquam? Semper et omni hora: sicut in parvo sic et in magno. Nihil excipio: sed in omnibus te nudatum inveniri volo. Alioquin quomodo poteris esse meus et ego tuus; nisi fueris ab omni propria voluntate intus et foris spoliatus? Quanto celerius hoc agis tanto melius habebis; et quanto plenius et sincerius: tanto mihi plus placebis, et amplius lucraberis. Quidam se resignant: sed cum aliqua exceptione; non enim plene Deo confidunt: ideo sibi providere satagunt. Quidam etiam primo totum offerunt; sed postea temptatione pulsati ad propria redeunt: ideo minime in virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, et iucundae familiaritatis meae gratiam non pertingent,

nisi integra resignatione et cotidiana sui immolatione prius facta: sine qua non stat nec stabit unio fruitiva. Dixi tibi saepissime: et nunc iterum dico. Relinque te, resigna te: et frueris magna interna pace. Da totum pro toto, nil exquire, nil repete; sta pure et inhaesitanter in me: et habebis me. Eris liber in corde: et tenebrae non conculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera: ut ab omni proprietate possis expoliari et nudus nudum Iesum sequi; tibi mori: et mihi aeternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanae phantasiae: conturbationes iniquae, et curae superfluae. Tunc etiam recedet immoderatus timor: et inordinatus amor morietur.

DE BONO REGIMINE IN EXTERNIS ET RECVRSV AD DEVM IN PERICVLIS.

CAPITVLVM XXXVIII.

Fili. Ad istud diligenter tendere debes, ut in omni loco et actione seu occupatione externa sis intimus liber et tui ipsius potens; et sint omnia sub te et tu non sub eis: ut sis dominus actionum tuarum et rector, non servus nec empticius; sed magis exemptus verusque Hebraeus in sortem ac libertatem

transiens filiorum Dei: qui stant super praesentia et speculantur aeterna; qui transitoria sinistro intuentur oculo et dextro caelestia: quos temporalia non trahunt ad inhaerendum; sed trahunt ipsi magis ea ad bene serviendum prout ordinata sunt a Deo et instituta, a summo opifice: qui nil inordinatum in sua reliquit creatura.

Si etiam in omni eventu stas non in apparentia externa, nec oculo carnali lustras visa vel audita; sed mox in qualibet causa intras cum Moyse in tabernaculum ad consulendum Dominum; audies nonnumquam divinum responsum: et redies instructus de multis praesentibus et futuris. Semper enim Moyses recursum habuit ad tabernaculum pro dubiis et quaestionibus solvendis: fugitque ad orationis adiutorium pro periculis et improbitatibus hominum sublevandis. Sic et tu confugere debes in cordis tui secretarium: divinum intentius implorando suffragium. Propterea namque Iosue et filii Israel a Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini prius non interrogaverunt: sed nimium creduli dulcibus sermonibus, falsa pietate delusi sunt.

QVOD HOMO NON SIT IMPORTVNVS IN NEGOTIIS.

CAPITVLVM XXXIX.

Fili. Committe mihi semper causam tuam: ego bene disponam in tempore suo. Expecta ordinationem meam: et senties inde profectum. Domine satis libenter tibi omnes res committo: quia parum potest cogitatio mea proficere. Vtinam non multum adhaererem futuris eventibus: sed ad beneplacitum tuum incunctanter me offerrem.

Fili. Saepe homo rem aliquam vehementer agitat quam desiderat: sed cum ad eam pervenerit, aliter sentire incipit; quia affectiones circa idem non sunt durabiles: sed magis de uno ad aliud impellunt. Non est ergo minimum etiam in minimis se ipsum relinquere. Verus profectus hominis: est abnegatio sui ipsius. Et homo abnegatus: valde liber est et securus. Sed antiquus hostis omnibus bonis adversans a temptatione non cessat; sed die noctuque graves molitur insidias: si forte in laqueum deceptionis possit praecipitare incautum. Vigilate et orate dicit Dominus: ut non intretis in temptationem.

QVOD HOMO NIHIL BONI EX SE HABET, ET DE NVLLO GLORIARI POTEST.

CAPITVLVM XL.

DOmine quid est homo quod memor es eius; aut filius hominis quia visitas eum? Quid promeruit homo; ut dares illi gratiam tuam? Domine quid possum conqueri si me deseris; aut quid iuste obtendere possum si quod peto non feceris? Certe hoc in veritate cogitare possum et dicere. Domine nihil sum, nihil possum; nihil boni ex me habeo: sed in omnibus deficio, et ad nihil semper tendo. Et nisi a te fuero adiutus et interius informatus: totus efficior tepidus et dissolutus. Tu autem Domine semper idem ipse es et permanes in aeternum semper bonus iustus et sanctus: bene iuste ac sancte agens omnia et disponens in sapientia; sed ego qui ad defectum sum magis pronus quam ad profectum, non sum semper in uno statu perdurans: quia septem tempora mutantur super me. Verumtamen cito melius fit cum tibi placuerit et manum porrexeris adiutricem: quia tu solus sine humano suffragio poteris auxiliari, et in tantum confirmare; ut vultus meus amplius in diversa non mu-

tetur: sed in te uno cor meum convertatur et quiescat. Vnde si bene scirem omnem humanam consolationem abicere, sive propter devotionem adipiscendam: sive propter necessitatem qua compellor te quaerere, quia non est homo qui me consoletur; tunc possem merito de gratia tua sperare: et de dono novae consolationis exultare.

Gratias tibi unde totum venit: quotienscumque mihi bene succedit. Ego autem vanitas et nihilum ante te: inconstans homo et infirmus. Vnde ergo possum gloriari; aut cur appeto reputari? Numquid de nihilo? Et hoc vanissimum est. Vere inanis gloria mala pestis vanitas maxima; quia a vera trahit gloria: et caelesti spoliat gratia. Dum enim homo complacet sibi displicet tibi: dum inhiat laudibus humanis privatur veris virtutibus. Est autem vera gloria et exultatio sancta, gloriari in te et non in se: gaudere in nomine tuo non in propria virtute: nec in aliqua creatura delectari nisi propter te. Laudetur nomen tuum non meum: magnificetur opus tuum non meum; benedicatur nomen sanctum tuum: nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea tu exultatio cordis mei; in te gloriabor et exultabo tota die: pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis.

Quaerant Iudaei gloriam quae ab invicem est: ego hanc requiram quae a solo Deo est. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, aeternae gloriae tuae comparata: vanitas est et stultitia. O veritas mea et misericordia mea Deus meus Trinitas beata; tibi soli laus honor virtus gloria: per infinita saeculorum saecula.

DE CONTEMPTV OMNIS TEMPORALIS HONORIS.

CAPITVLVM XLI.

FIli. Noli tibi attrahere, si videas alios honorari et elevari: te autem despici et humiliari. Erige cor tuum ad me in caelum: et non contristabit te contemptus hominum in terris. Domine in caecitate sumus: et vanitate cito seducimur. Si recte me inspicio; numquam mihi facta est iniuria ab aliqua creatura: unde nec iuste habeo conqueri adversum te. Quia autem frequenter et graviter peccavi tibi: merito armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur iuste debetur confusio et contemptus: tibi autem laus honor et gloria. Et nisi me ad hoc praeparavero quod velim libenter ab omni creatura despici et relinqui, atque penitus nihil videri; non possum interius paci-

ficari et stabiliri: nec spiritualiter illuminari neque plene tibi uniri.

QVOD PAX NON EST PONENDA IN HOMINIBVS.

CAPITVLVM XLII.

FIli. Si ponis pacem tuam cum aliqua persona propter tuum sentire et convivere: instabilis eris et implicatus. Sed si recursum habes ad semper viventem et manentem veritatem: non contristabit amicus recedens aut moriens. In me debet amici dilectio stare; et propter me diligendus est quisquis tibi bonus visus est: et multum carus in hac vita. Sine me non valet nec durabit amicitia; nec est vera et munda dilectio: quam ego non copulo. Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorum hominum: ut quantum ad te pertinet sine omni humano optares esse consortio. Tanto homo Deo magis appropinquat: quanto ab omni solacio terreno longius recedit. Tanto etiam altius ad Deum ascendit: quanto profundius in se descendit et plus sibi ipsi vilescit. Qui autem sibi aliquid boni attribuit; gratiam Dei in se venire impedit: quia gratia Spiritus sancti cor humile semper quaerit. Si scires te perfecte adnihilare atque ab omni creato

amore evacuare: tunc deberem in te cum magna gratia emanare. Quando tu respicis ad creaturas: subtrahitur tibi aspectus Creatoris. Disce te in omnibus propter Creatorem vincere: tunc ad divinam valebis cognitionem pertingere. Quantumcumque modicum sit si inordinate diligitur et respicitur: retardat a summo et vitiat.

CONTRA VANAM ET SAECVLAREM SCIENTIAM.

CAPITVLVM XLIII.

FIli. Non te moveant pulchra et subtilia hominum dicta. Non enim est regnum Dei in sermone: sed in virtute. Attende verba mea quae corda accendunt et mentes illuminant: inducunt compunctionem et variam ingerunt consolationem. Numquam ad hoc legas verbum: ut doctior aut sapientior possis videri. Stude mortificationi vitiorum: quia hoc amplius tibi proderit quam notitia multarum difficilium quaestionum. Cum multa legeris et cognoveris: ad unum semper oportet redire principium. Ego sum, qui doceo hominem scientiam; et clariorem intellegentiam parvulis tribuo: quam ab homine possit doceri. Cui ego loquor cito sapiens erit: et multum in spiritu proficiet. Vae eis qui multa curiosa

ab hominibus inquirunt: et de via mihi serviendi parum curant. Veniet tempus quando apparebit magister magistrorum Christus dominus angelorum, cunctorum auditurus lectiones: hoc est singulorum examinaturus conscientias; et tunc scrutabitur Ierusalem in lucernis: et manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumenta linguarum. Ego sum qui humilem in puncto elevo mentem; ut plures aeternae veritatis capiat rationes: quam si quis decem annis studuisset in scholis. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum: sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum. Ego sum qui doceo terrena despicere praesentia fastidire; aeterna quaerere, aeterna sapere: honores fugere, scandala sufferre; omnem spem in me ponere, extra me nil cupere: et super omnia me ardenter amare. Nam quidam amando me intime, didicit divina: et loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia: quam in studendo subtilia. Sed aliis loquor communia aliis specialia; aliquibus in signis et figuris dulciter appareo: quibusdam vero in multo lumine revelo mysteria. Vna vox librorum sed non omnes aeque informat; quia intus sum doctor veritas scrutator cordis cogitationum intellector, actionum

promotor: distribuens singulis sicut dignum iudicavero.

DE NON ATTRAHENDO SIBI RES EXTERIORES.

CAPITVLVM XLIIII.

Fili. In multis oportet te esse inscium; et aestimare te tamquam mortuum super terram: et cui totus mundus crucifixus sit. Multa etiam oportet surda aure pertransire: et quae tuae pacis sunt magis cogitare. Vtilius est oculos a rebus displicentibus avertere; et unicuique suum sentire relinquere: quam contentiosis sermonibus deservire. Si bene steteris cum Deo, et eius iudicium aspexeris: facilius te victum portabis.

O Domine quousque venimus? Ecce damnum defletur temporale, pro modico quaestu laboratur et curritur: et spirituale detrimentum in oblivionem transit, et vix sero reditur. Quod parum vel nihil prodest attenditur; et quod summe necessarium est neglegenter praeteritur: quia totus homo ad externa defluit. Et nisi cito resipiscat: libens in exterioribus iacet.

QVOD OMNIBVS NON EST CREDENDVM, ET DE FACILI LAPSV VERBORVM.

CAPITVLVM XLV.

DA mihi auxilium Domine de tribulatione: quia vana salus hominis. Quam saepe ibi non inveni fidem: ubi me habere putavi. Quotiens etiam ibi repperi: ubi minus praesumpsi. Vana ergo spes in hominibus: salus autem iustorum in te Deus. Benedictus sis Domine Deus meus, in omnibus quae accidunt nobis. Infirmi sumus et instabiles: cito fallimur et permutamur. Quis est homo, qui ita caute et circumspecte in omnibus se custodire valet; ut aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te Domine confidit, ac simplici ex corde quaerit: non tam facile labitur. Et si inciderit aliquam tribulationem; quocumque modo fuerit etiam implicatus, citius per te eruetur, aut a te consolabitur: quia tu non deseres in te sperantem usque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perseverans pressuris. Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus: et praeter te non est alter talis.

O quam bene sapuit sancta illa anima, quae dixit. Mens mea solidata est: et in

Christo fundata. Si ita mecum foret: non tam facile timor humanus me sollicitaret, nec verborum iacula moverent. Quis omnia praevidere; quis praecavere futura mala sufficit? Si praevisa saepe etiam laedunt; quid improvisa nisi graviter feriunt? Sed quare mihi misero non melius providi? Cur etiam tam facile aliis credidi? Sed homines sumus, nec aliud quam fragiles homines sumus: etiam si angeli a multis aestimamur et dicimur. Cui credam Domine? Cui nisi tibi? Veritas es quae non fallis, nec falli potes. Et rursum omnis homo mendax, infirmus, instabilis, et labilis maxime in verbis; ita ut statim vix credi debeat: quod rectum in facie sonare videtur. Quam prudenter praemonuisti cavendum ab hominibus; et quia inimici hominis domestici eius: nec credendum si quis dixerit ecce hic aut ecce illic. Doctus sum damno meo: et utinam ad cautelam maiorem et non ad insipientiam mihi. Cautus esto ait quidam cautus esto: serva apud te quod dico. Et dum ego sileo et absconditum credo; nec ille silere potest quod silendum petiit: sed statim prodit me et se et abiit. Ab huiusmodi fabulis et incautis hominibus protege me Domine ne in manus eorum incidam: nec umquam talia committam. Verbum verum

et stabile da in os meum: et linguam callidam fac a me. Quod pati nolo: omnimode cavere debeo.

O quam bonum et pacificum, de aliis silere; nec indifferenter omnia credere, neque de facili ulterius effari: paucis se ipsum revelare; te semper inspectorem cordis quaerere, nec omni vento verborum circumferri: sed omnia intima et externa secundum placitum tuae voluntatis optare perfici. Quam tutum pro conservatione caelestis gratiae humanam fugere apparentiam; nec appetere quae foris admirationem videntur praebere: sed ea tota sedulitate sectari quae vitae emendationem dant et fervorem. Quam multis nocuit virtus scita ac praepropere laudata; quam sane profuit gratia silentio servata in hac fragili vita: quae tota temptatio fertur et militia.

DE CONFIDENTIA IN DEO HABENDA QVANDO INSVRGVNT VERBORVM IACVLA.

CAPITVLVM XLVI.

Fili. Sta firmiter et spera in me. Quid enim sunt verba nisi verba? Per aerem volant: sed lapidem non laedunt. Si reus es: cogita quod libenter emendare te velis. Si nihil tibi conscius

es: pensa quod velis libenter pro Deo hoc sustinere. Parum satis est ut vel verba interdum sustineas: qui necdum fortia verbera tolerare vales. Et quare tam parva tibi ad cor transeunt; nisi quia adhuc carnalis es, et homines magis quam oportet attendis? Nam quia despici metuis reprehendi pro excessibus non vis: et excusationum umbracula quaeris. Sed inspice te melius, et agnosces quia vivit adhuc in te mundus: et vanus amor placendi hominibus. Cum enim bassari refugis et confundi pro defectibus; constat utique quod nec verus humilis sis: nec vere mundo mortuus, nec mundus tibi crucifixus. Sed audi verbum meum: et non curabis decem milia verba hominum. Ecce si cuncta contra te dicerentur quae fingi malitiosissime possent; quid tibi nocerent, si omnino transire permitteres, nec plus quam festucam perpenderes? Numquid vel unum capillum tibi extrahere possent? Sed qui cor intus non habet nec Deum prae oculis: faciliter verbo movetur vituperationis. Qui autem in me confidit nec proprio iudicio stare appetit: absque humano terrore erit. Ego enim sum iudex et cognitor omnium secretorum; ego scio qualiter res acta est: ego iniuriantem novi et sustinentem. A me exiit verbum istud; me permittente

hoc accidit: ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum et innocentem iudicabo: sed occulto iudicio utrumque ante probare volui. Testimonium hominum saepe fallit; meum iudicium verum est: stabit et non subvertetur. Latet plerumque et paucis ad singula patet; numquam tamen errat nec errare potest: etiam si oculis insipientium non rectum videatur. Ad me ergo currendum est in omni iudicio: nec proprio innitendum arbitrio. Iustus enim non conturbabitur: quidquid a Deo ei acciderit. Etiam si iniuste aliquid contra eum prolatum fuerit: non multum curabit. Sed nec vane exultabit: si per alios rationabiliter excusetur. Pensat namque quia ego sum scrutans corda et renes: qui non iudico secundum faciem et humanam apparentiam. Nam saepe in oculis meis reperitur culpabile: quod hominum iudicio creditur laudabile. Domine Deus iudex iuste fortis et patiens, qui hominum nosti fragilitatem et pravitatem; esto robur meum et tota fiducia mea: non enim mihi sufficit conscientia mea. Tu nosti quod ego non novi: et ideo in omni reprehensione humiliare me debui et mansuete sustinere. Ignosce quoque mihi propitius, quotiens sic non egi: et dona iterum gratiam amplioris sufferentiae.

Melior est enim mihi tua copiosa misericordia ad consecutionem indulgentiae: quam mea opinata iustitia pro defensione latentis conscientiae. Et si nihil mihi conscius sum: tamen in hoc iustificare me non possum: quia remota misericordia tua non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

QVOD OMNIA GRAVIA PRO AETERNA VITA SVNT TOLERANDA.

CAPITVLVM XLVII.

Fili. Non te frangant labores quos assumpsisti propter me nec tribulationes te deiciant usquequaque: sed mea promissio in omni eventu te roboret et consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum et mensuram. Non diu hic laborabis: nec semper gravaberis doloribus. Expecta paulisper: et videbis celerem finem malorum. Veniet una hora: quando cessabit omnis labor et tumultus. Modicum est et breve: omne quod transit cum tempore. Age quod agis; fideliter labora in vinea mea: ego ero merces tua. Scribe lege canta, geme tace ora; sustine viriliter contraria: digna est his omnibus et maioribus proeliis vita aeterna. Veniet pax in die una quae

nota est Domino; et erit non dies neque nox huius scilicet temporis: sed lux perpetua claritas infinita, pax firma et requies secura. Non dices tunc quis me liberabit de corpore mortis huius; neque clamabis heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: quoniam praecipitabitur mors, et salus erit indefectiva; anxietas nulla, iucunditas beata: societas dulcis et decora.

O si vidisses sanctorum in caelo coronas perpetuas: quanta quoque nunc exultant gloria, qui huic mundo olim contemptibiles et quasi vita ipsa indigni putabantur; profecto te statim humiliares usque ad terram, et affectares potius omnibus subesse quam uni praeesse: nec huius vitae laetos dies concupisceres; sed magis pro Deo tribulari gauderes: et pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres. O si tibi haec saperent et profunde ad cor transirent; quomodo auderes vel semel conqueri? Nonne pro vita aeterna cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est parvum quid, perdere aut lucrari regnum Dei. Leva igitur faciem tuam in caelo; ecce ego et omnes sancti mei mecum: qui in hoc saeculo magnum habuere certamen. Modo gaudent modo consolantur; modo securi sunt modo requiescunt:

et sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt.

DE DIE AETERNITATIS ET HVIVS VITAE ANGVSTIIS.

CAPITVLVM XLVIII.

supernae civitatis mansio beatissima. O dies aeternitatis clarissima; quam nox non obscurat: sed summa veritas semper irradiat; dies semper laeta semper secura: et numquam statum mutans in contraria. O utinam dies illa illuxisset: et cuncta haec temporalia finem accepissent. Lucet quidem sanctis perpetua claritate splendida: sed non nisi alonge et per speculum peregrinantibus in terra. Norunt caeli cives quam gaudiosa sit illa: gemunt exules filii Evae quod amara et taediosa sit ista. Dies huius temporis parvi et mali; pleni doloribus et angustiis: ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur; multis timoribus stringitur, multis curis distenditur: multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur; multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur temptationibus gravatur: deliciis enervatur, egestate cruciatur. O quando finis horum malorum; quando liberabor a misera servitute vitio-

rum? Quando memorabor Domine tui solius; quando ad plenum laetabor in te? Quando ero sine omni impedimento, in vera libertate sine omni gravamine mentis et corporis? Quando erit pax solida pax imperturbabilis et secura; pax intus et foris, pax ex omni parte firma? Iesu bone quando stabo ad videndum te, quando contemplabor gloriam regni tui; quando eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecum in regno tuo; quod praeparasti dilectis tuis ab aeterno? Relictus sum pauper et exul in terra hostili: ubi bella cotidiana, et infortunia maxima. Consolare exilium meum; mitiga dolorem meum: quia ad te suspirat omne desiderium meum. Nam onus mihi totum est: quidquid hic mundus offert ad solacium. Desidero te intime frui: sed nequeo apprehendere. Opto inhaerere caelestibus: sed deprimunt res temporales et immortificatae passiones. Mente omnibus rebus superesse volo: carne autem invite subesse cogor. Sic ego homo infelix mecum pugno; et factus sum mihimet ipsi gravis: dum spiritus sursum et caro quaerit esse deorsum. O quid intus patior dum mente caelestia tracto: et mox carnalium turba occurrit oranti. Deus meus ne elongeris a me: neque declines in ira a servo tuo. Fulgura coruscationem tuam et dissipa

eas: emitte sagittas tuas et conturbentur omnes phantasiae inimici. Recollige sensus meos ad te: fac me oblivisci omnium mundanorum: da cito abicere et contemnere phantasmata vitiorum. Succurre mihi aeterna veritas: ut nulla me moveat vanitas; adveni caelestis suavitas: et fugiat a facie tua omnis impuritas. Ignosce quoque mihi et misericorditer indulge: quotiens praeter te aliud in oratione revolvo. Confiteor etenim vere: quia valde distracte me habere consuevi. Nam ibi multotiens non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo; sed ibi magis sum: quo cogitationibus feror. Ibi sum ubi cogitatio mea est: ibi est frequenter cogitatio mea, ubi est quod amo. Hoc mihi cito occurrit: quod naturaliter delectat aut ex usu placet. Vnde tu veritas aperte dixisti. Vbi enim est thesaurus tuus: ibi est et cor tuum. Si caelum diligo: libenter de caelestibus penso. Si mundum amo; mundi felicitatibus congaudeo: et de adversitatibus eius tristor. Si carnem diligo; quae carnis sunt saepe imaginor. Si spiritum amo: de spiritualibus cogitare delector. Quaecumque enim diligo; de his libenter loquor et audio: atque talium imagines mecum ad domum reporto. Sed beatus ille homo, qui propter te Domine omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit;

qui naturae vim facit: et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit; ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat: dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris et intus exclusis.

DE DESIDERIO AETERNAE VITAE, ET QVANTA SINT CERTANTIBVS BONA PROMISSA.

CAPITVLVM XLIX.

Fili. Cum tibi desiderium aeternae beatitudinis desuper infundi sentis, et de tabernaculo corporis exire concupiscis, ut claritatem meam sine vicissitudinis umbra contemplari possis: dilata cor tuum et omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe. Redde amplissimas supernae bonitati gratias: quae tecum sic dignanter agit; clementer visitat ardenter excitat potenter sublevat: ne proprio pondere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis: sed sola dignatione supernae gratiae et divini respectus; quatinus in virtutibus et maiori humilitate proficias: et ad futura certamina te praepares; mihique toto cordis affectu adhaerere: ac ferventi voluntate studeas deservire.

Fili. Saepe ignis ardet: sed sine fumo flamma non ascendit. Sic et aliquorum

desideria ad caelestia flagrant: et tamen a temptatione carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco nec omnino pure pro honore Dei agunt: quod tam desideranter ab eo petunt. Tale est et tuum saepe desiderium: quod insinuasti fore tam importunum. Non enim est hoc purum et perfectum: quod propria commoditate est infectum. Pete non quod tibi est delectabile et commodum; sed quod mihi est acceptabile atque honorificum: quia si recte iudicas, meam ordinationem tuo desiderio et omni desiderato praeferre debes ac sequi. Novi desiderium tuum: et frequentes gemitus audivi. Iam velles esse in libertate gloriae filiorum Dei; iam te delectat domus aeterna et caelestis patria gaudio plena: sed nondum venit hora ista; sed est adhuc aliud tempus: scilicet tempus belli tempus laboris et probationis. Optas summo repleri bono: sed non potes hoc assequi modo. Ego sum: expecta me dicit Dominus donec veniat regnum Dei. Probandus es adhuc in terris: et in multis exercitandus. Consolatio tibi interdum dabitur: sed copiosa satietas non conceditur. Confortare igitur et esto robustus: tam in agendo quam in patiendo naturae contraria. Oportet te novum induere hominem: et in alterum virum mutari. Oportet te saepe agere

quod non vis: et quod vis oportet relinquere. Quod aliis placet processum habebit: quod tibi placet ultra non proficiet. Quod alii dicunt audietur: quod tu dicis pro nihilo computabitur. Petent alii et accipient: tu petes nec impetrabis. Erunt alii magni in ore hominum: de te autem tacebitur. Aliis hoc vel illud committetur: tu autem ad nihil utile iudicaberis. Propter hoc natura quandoque contristabitur: et magnum si silens portaveris. In his et similibus multis probari solet fidelis Domini servus: qualiter se abnegare et in omnibus frangere quiverit. Vix est aliquid tale in quo tantundem mori indiges sicut videre et pati quae voluntati tuae adversa sunt: maxime autem cum disconvenientia et quae minus utilia tibi apparent fieri iubentur. Et quia non audes resistere altiori potestati sub dominio constitutus; ideo durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare: et omne proprium sentire omittere. Sed pensa fili horum fructum laborum, celerem finem atque praemium nimis magnum; et non habebis inde gravamen: sed fortissimum patientiae tuae solamen. Nam et pro modica hac voluntate quam nunc sponte deseris: habebis semper voluntatem tuam in caelis. Ibi quippe invenies omne quod volueris, omne, quod desiderare poteris: ibi aderit

tibi totius facultas boni, sine timore amittendi. Ibi voluntas tua una semper mecum: nil cupiet extraneum vel privatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur: nemo impediet, nihil obviabit; sed cuncta desiderata simul erunt praesentia: totumque affectum tuum reficient et adimplebunt usque ad summum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa; pallium laudis pro maerore: pro loco novissimo sedem regni in saecula. Ibi apparebit fructus oboedientiae; gaudebit labor paenitentiae: et humilis subiectio coronabitur gloriose. Nunc ergo inclina te humiliter sub omnium manibus; nec sit tibi curae quis hoc dixerit vel iusserit: sed hoc magnopere curato; ut sive praelatus seu iunior aut aequalis aliquid a te exposcerit vel innuerit, pro bono totum accipias: et sincera voluntate studeas adimplere. Quaerat alius hoc alius illud; glorietur ille in illo, et iste in isto, laudeturque milies mille: tu autem nec in isto nec in illo; sed in tui ipsius gaude contemptu: et in mei solius beneplacito ac honore. Hoc optandum est tibi: ut sive per vitam sive per mortem Deus semper in te glorificetur.

QVALITER HOMO DESOLATVS SE DEBET IN MANVS DEI OFFERRE.

CAPITVLVM L.

DOmine Deus sancte Pater sis nunc et in aeternum benedictus; quia sicut vis sic factum est: et quod facis bonum est. Laetetur in te servus tuus; non in se nec in aliquo alio: quia tu solus laetitia vera; tu spes mea et corona mea: tu gaudium meum et honor meus Domine. Quid habet servus tuus; nisi quod a te accepit etiam sine merito suo? Tua sunt omnia quae dedisti, et quae fecisti. Pauper sum et in laboribus meis a iuventute mea; et contristatur anima mea nonnumquam usque ad lacrimas: quandoque etiam conturbatur ad se propter imminentes passiones. Desidero pacis gaudium; pacem filiorum tuorum flagito: qui in lumine consolationis a te pascuntur. Si das pacem, si gaudium sanctum infundis; erit anima servi tui plena modulatione: et devota in laude tua. Sed si te subtraxeris sicut saepissime soles; non poterit currere viam mandatorum tuorum: sed magis ad tundendum pectus genua eius incurvantur; quia non est illi sicut heri et nudius tertius quando splendebat lucerna tua super caput eius: et sub umbra

alarum tuarum protegebatur a temptationibus irruentibus.

Pater iuste et semper laudande: venit hora ut probetur servus tuus. Pater amande: dignum est, ut hac hora patiatur pro te aliquid servus tuus. Pater perpetue venerande venit hora quam ab aeterno praesciebas affuturam; ut ad modicum tempus succumbat foris servus tuus: vivat vero semper apud te intus. Paululum vilipendatur; humilietur et deficiat coram hominibus: passionibus conteratur et languoribus; ut iterum tecum in aurora novae lucis resurgat: et in caelestibus clarificetur. Pater sancte; tu sic ordinasti et sic voluisti: et hoc factum est quod ipse praecepisti. Haec est enim gratia ad amicum tuum; pati et tribulari in mundo pro amore tuo: quotienscumque et a quocumque id permiseris fieri. Sine consilio et providentia tua: et sine causa nihil fit in terra. Bonum mihi Domine quod humiliasti me ut discam iustificationes tuas: et omnes elationes cordis atque praesumptiones abiciam. Vtile mihi quod confusio cooperuit faciem meam: ut te potius quam homines ad consolandum requiram. Didici etiam ex hoc inscrutabile iudicium tuum expavescere; qui affligis iustum cum impio: sed non sine aequitate et iustitia. Gratias

tibi quia non pepercisti malis meis; sed attrivisti me verberibus amaris: infligens dolores et immittens angustias foris et intus. Non est qui me consoletur ex omnibus quae sub caelo sunt: nisi tu Domine Deus meus caelestis medicus animarum; qui percutis et sanas: deducis ad inferos et reducis. Disciplina tua super me: et virga tua ipsa me docebit. Ecce Pater dilecte in manibus tuis sum ego: sub virga correctionis tuae me inclino; percute dorsum meum et collum meum: ut incurvem ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Fac me pium et humilem discipulum sicut bene facere consuevisti: ut ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me et omnia mea ad corrigendum commendo: melius est hic corripi quam in futuro. Tu scis omnia et singula: et nil te latet in humana conscientia. Antequam fiant nosti ventura: et non opus est tibi ut quis te doceat aut admoneat de his quae geruntur in terra. Tu scis quid expedit ad profectum meum: et quantum deservit tribulatio ab rubiginem vitiorum purgandam. Fac mecum desideratum beneplacitum tuum; et ne despicias peccaminosam vitam meam: nulli melius nec clarius quam tibi soli notam. Da mihi Domine scire quod sciendum est, hoc amare quod amandum est: hoc

laudare quod tibi summe placet; hoc reputare quod tibi pretiosum apparet: hoc vituperare quod oculis tuis sordescit. Non me sinas secundum visionem oculorum exteriorum iudicare; neque secundum auditum aurium hominum imperitorum sententiare: sed in iudicio vero de visibilibus et spiritualibus discernere; atque super omnia voluntatem beneplaciti tui semper inquirere. Falluntur saepe hominum sensus in iudicando: falluntur et amatores saeculi visibilia tantummodo amando. Quid est homo inde melior; quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem, vanus vanum caecus caecum infirmus infirmum decipit dum exaltat: et veraciter magis confundit dum inaniter laudat. Nam quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est et non amplius: ait humilis sanctus Franciscus.

QVOD HVMILIBVS INSISTENDVM EST OPERIBVS CVM DEFICITVR A SVMMIS.

CAPITVLVM LI.

FIli non vales semper in ferventiori desiderio virtutum stare: nec in altiori gradu contemplationis consistere; sed necesse habes interdum ob originalem corruptelam ad inferiora descendere: et

onus corruptibilis vitae etiam invite et cum taedio portare. Quamdiu mortale corpus geris: taedium senties et gravamen cordis. Oportet ergo saepe in carne de carnis onere gemere: eo quod non vales spiritualibus studiis et divinae contemplationi indesinenter inhaerere. Tunc expedit tibi ad humilia et exteriora opera confugere: et in bonis actibus te recreare; adventum meum et supernam visitationem firma confidentia expectare: exilium tuum et ariditatem mentis patienter sufferre; donec iterum a me visiteris: et ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum oblivisci, et interna quiete perfrui; expandam coram te prata scripturarum: ut dilatato corde currere incipias viam mandatorum meorum. Et dices. Non sunt condignae passiones huius temporis: ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.

QVOD HOMO NON REPVTET SE CONSOLATIONE DIGNVM SED MAGIS VERBERIBVS REVM.

CAPITVLVM LII.

DOmine non sum dignus consolatione tua: nec aliqua spirituali visitatione. Et ideo iuste mecum agis: quando me inopem et desolatum relinquis.

Si enim ad instar maris lacrimas fundere possem: adhuc consolatione tua dignus non essem. Vnde nihil dignus sum quam flagellari et puniri; quia graviter et saepe te offendi: et in multis valde deliqui. Ergo vera pensata ratione: nec minima sum dignus consolatione. Sed tu clemens et misericors Deus qui non vis perire opera tua ad ostendendum divitias bonitatis tuae in vasa misericordiae, etiam praeter omne proprium meritum dignaris consolari servum tuum supra humanum modum. Tuae enim consolationes: non sunt sicut humanae confabulationes. Quid egi Domine; ut mihi conferres aliquam caelestem consolationem? Ego nihil boni me egisse recolo; sed semper ad vitia pronum: et ad emendationem pigrum fuisse. Verum est: et negare non possum. Si aliter dicerem, tu stares contra me: et non esset qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis; nisi infernum et ignem aeternum? In veritate confiteor quoniam dignus sum omni ludibrio et contemptu: nec decet me inter tuos devotos commemorari. Et licet hoc aegre audiam; tamen adversum me pro veritate peccata mea arguam: ut facilius misericordiam tuam merear impetrare. Quid dicam reus, et omni confusione plenus? Non habeo os loquendi nisi hoc tantum verbum;

peccavi Domine peccavi: miserere mei ignosce mihi. Sine me paululum ut plangam dolorem meum: antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. Quid tam maxime a reo et misero peccatore requiris; nisi ut conteratur et humiliet se pro delictis suis? In vera contritione et cordis humiliatione nascitur spes veniae; reconciliatur perturbata conscientia: reparatur gratia perdita; tuetur homo a futura ira: et occurrunt sibi mutuo in osculo sancto Deus et paenitens anima. Humilis peccatorum contritio, acceptabile tibi est Domine sacrificium: longe suavius odorans in conspectu tuo quam turis incensum. Haec est gratum etiam unguentum quod sacris pedibus tuis infundi voluisti: quia cor contritum et humiliatum numquam despexisti. Ibi est locus refugii a facie irae inimici; ibi emendatur et abluitur: quidquid aliunde contractum est et inquinatum.

QVOD GRATIA DEI NON MISCETVR TERRENA SAPIENTIBVS.

CAPITVLVM LIII.

FIli. Pretiosa est gratia mea: non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abicere ergo

oportet omnia impedimenta gratiae: si optas eius infusionem suscipere. Pete secretum tibi; ama solus habitare tecum: nullius require confabulationem; sed magis ad Deum devotam effunde precem: ut compunctam teneas mentem et puram conscientiam. Totum mundum nihil aestima: Dei vacationem omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare: et in transitoriis pariter delectari. A notis et a caris oportet elongari: et ab omni temporali solacio mentem tenere privatam. Sic obsecrat beatus apostolus Petrus: ut tamquam advenas et peregrinos in hoc mundo se contineant Christi fideles. O quanta fiducia erit morituro: quem nullius rei affectus detinet in mundo. Sed sic segregatum cor habere ab omnibus, aeger necdum capit animus: nec animalis homo novit interni hominis libertatem. Attamen si vere velit esse spiritualis; oportet eum renuntiare tam remotis quam propinquis: et a nemine magis cavere quam a se ipso. Si temet ipsum perfecte viceris: cetera facilius subiugabis. Perfecta victoria est: de semet ipso triumphare. Qui enim semet ipsum subiectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis oboediat mihi: hic vere victor est sui et dominus mundi. Si ad hunc apicem scandere gliscis; oportet viriliter incipere et securim ad

radicem ponere: ut evellas et destruas occultam inordinatam inclinationem ad te ipsum et ad omne privatum et materiale bonum. Ex hoc vitio quod homo semet ipsum nimis inordinate diligit: paene totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est. Quo devicto et subacto malo: pax magna et tranquillitas erit continuo. Sed quia pauci sibi ipsis perfecte mori laborant, nec plene extra se tendunt; propterea in se implicati remanent: nec supra se in spiritu elevari possunt. Qui autem libere mecum ambulare desiderat; necesse est ut omnes pravas et inordinatas affectiones suas mortificet: atque nulli creaturae privato amore concupiscenter inhaereat.

DE DIVERSIS MOTIBVS NATVRAE ET GRATIAE.

CAPITVLVM LIIII.

FIli diligenter adverte motus naturae et gratiae; quia valde contrarie et subtiliter moventur: et vix nisi a spirituali et intimo illuminato homine discernuntur. Omnes quidem bonum appetunt; et aliquid boni in suis dictis vel factis praetendunt: ideo sub specie boni multi falluntur. Natura callida est et multos trahit illaqueat et decipit: et se

semper pro fine habet; sed gratia simpliciter ambulat, ab omni specie mala declinat, fallacias non praetendit: et omnia pure propter Deum agit, in quo et finaliter requiescit. Natura invite vult mori nec premi nec superari: nec subesse nec sponte subiugari; gratia vero studet mortificationi propriae: resistit sensualitati, quaerit subici; appetit vinci, nec propria vult libertate fungi: sub disciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari; sed sub Deo semper vivere, stare et esse: atque propter Deum omni humanae creaturae humiliter parata est inclinari. Natura pro suo commodo laborat: et quid lucri ex alio sibi proveniat attendit; gratia autem non quid sibi utile et commodosum sit: sed quod multis proficiat magis considerat. Natura libenter honorem et reverentiam accipit: gratia vero omnem honorem et gloriam Deo fideliter attribuit. Natura confusionem timet et contemptum: gratia autem gaudet pro nomine Iesu pati contumeliam. Natura otium amat et quietem corporalem; gratia vero vacua esse non potest: sed libenter amplectitur laborem. Natura quaerit habere curiosa et pulchra: abhorret vilia et grossa; gratia vero simplicibus delectatur et humilibus: aspera non aspernatur, nec vetustis refugit indui pannis. Natura respicit

temporalia, gaudet ad lucra terrena: tristatur de damno, irritatur levi iniuriae verbo; sed gratia attendit aeterna, non inhaeret temporalibus, nec in perditione rerum turbatur, neque verbis durioribus acerbatur: quia thesaurum suum et gaudium in caelo ubi nil perit constituit. Natura cupida est et libentius accipit quam donat: amat propria et privata; gratia autem pia est et communis: vitat singularia contentatur paucis, beatius dare iudicat quam accipere. Natura inclinat ad creaturas ad carnem propriam, ad vanitates et discursus; sed gratia trahit ad Deum et ad virtutes: renuntiat creaturis fugit mundum; odit carnis desideria, restringit evagationes: erubescit in publico apparere. Natura libenter aliquod solacium habet externum in quo delectetur ad sensum; sed gratia in solo Deo quaerit consolari: et in summo bono super omnia visibilia delectari. Natura totum agit propter lucrum et commodum proprium: nihil gratis facere potest; sed aut aequale aut melius, aut laudem vel favorem pro benefactis consequi sperat: et multum ponderari sua gesta et dona concupiscit; gratia vero nil temporale quaerit: nec aliud praemium quam Deum solum pro mercede postulat; nec amplius de temporalibus necessariis desiderat: nisi quan-

tum haec sibi ad assecutionem aeternorum valeant deservire. Natura gaudet de amicis multis et propinquis; gloriatur de nobili loco et ortu generis: arridet potentibus, blanditur divitibus, applaudit sibi similibus; gratia autem et inimicos diligit, nec de amicorum turba extollitur: nec locum nec ortum natalium reputat nisi virtus maior ibi fuerit; favet magis pauperi quam diviti, compatitur plus innocenti quam potenti: congaudet veraci non fallaci; exhortatur semper bonos meliora charismata aemulari: et Filio Dei per virtutes assimilari. Natura de defectu et molestia cito conqueritur: gratia constanter fert inopiam. Natura omnia ad se reflectit; pro se certat et arguit; gratia autem ad Deum cuncta reducit unde originaliter emanant: nihil boni sibi ascribit nec arroganter praesumit; non contendit nec suam sententiam aliis praefert: sed in omni sensu et intellectu aeternae sapientiae ac divino examini se submittit. Natura appetit scire secreta et nova audire; vult exterius apparere et multa per sensus experiri: desiderat agnosci et agere unde laus et admiratio procedit; sed gratia non curat nova nec curiosa percipere, quia totum hoc de vetustate corruptionis est ortum: cum nihil novum et durabile sit super terram. Docet itaque

sensus restringere, vanam complacentiam ei ostentationem devitare; laudanda et digne miranda humiliter abscondere: et de omni re et in omni scientia utilitatis fructum, atque Dei laudem et honorem quaerere. Non vult se nec sua praedicari; sed Deum in donis suis optat benedici: qui cuncta ex mera caritate largitur. Haec gratia supernaturale lumen et quoddam Dei speciale donum est: et proprie electorum signaculum et pignus salutis aeternae; quae hominem de terrenis ad caelestia amanda sustollit: et de carnali spiritualem efficit. Quanto igitur natura amplius premitur et vincitur; tanto maior gratia infunditur: et cotidie novis visitationibus interior homo secundum imaginem Dei reformatur.

DE CORRVPTIONE NATVRAE ET EFFICACIA GRATIAE DIVINAE.

CAPITVLVM LV.

DOmine Deus meus qui me creasti ad imaginem et similitudinem tuam; concede mihi hanc gratiam quam ostendisti tam magnam et necessariam ad salutem: ut vincam pessimam naturam meam trahentem ad peccata et in perditionem. Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis

meae et captivam me ducentem ad oboediendum sensualitati in multis; nec possum resistere passionibus eius: nisi assistat tua sanctissima gratia cordi meo ardenter infusa. Opus est gratia tua et magna gratia, ut vincatur natura: ad malum semper prona ab adulescentia sua. Nam per primum hominem Adam lapsa et vitiata per peccatum: in omnes homines poena huius maculae descendit; ut ipsa natura quae bene et recta a te condita fuit, pro vitio iam et infirmitate corruptae naturae ponatur: eo quod motus eius sibi relictus ad malum et inferiora trahit. Nam modica vis quae remansit: est tamquam scintilla quaedam latens in cinere. Haec est ipsa ratio naturalis circumfusa magna caligine: adhuc iudicium habens boni et mali, veri falsique distantiam; licet impotens sit adimplere omne quod approbat: nec pleno iam lumine veritatis nec sanitate affectionum suarum potiatur. Hinc est Deus meus quod condelector legi tuae secundum interiorem hominem; sciens mandatum tuum fore bonum iustum et sanctum: arguens etiam omne malum et peccatum fugiendum; carne autem servio legi peccati: dum magis sensualitati oboedio quam rationi. Hinc est quod velle bonum mihi adiacet: perficere autem non invenio.

Hinc saepe multa bona propono; sed quia gratia deest ad adiuvandum infirmitatem meam: ex levi resistentia resilio et deficio. Hinc accidit quod viam perfectionis agnosco; et qualiter agere debeam clare satis video: sed propriae corruptionis pondere pressus, ad perfectiora non assurgo.

O quam maxime est mihi necessaria Domine tua gratia, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, et ad perficiendum; nam sine ea nihil possum facere: omnia autem possum in te confortante me gratia. O vere caelestis gratia; sine qua nulla sunt propria merita: nulla quoque dona naturae ponderanda. Nihil artes nihil divitiae, nihil pulchritudo vel fortitudo: nihil ingenium vel eloquentia valent apud te Domine sine gratia. Nam dona naturae bonis et malis sunt communia; electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio: qua insigniti digni habentur vita aeterna. Tantum eminet haec gratia: ut nec donum prophetiae nec signorum operatio nec quantalibet alta speculatio aliquid aestimentur sine ea. Sed neque fides neque spes, neque aliae virtutes: tibi acceptae sunt sine caritate et gratia.

O beatissima gratia quae pauperem spiritu, virtutibus divitem facis: et divitem multis bonis humilem corde reddis;

veni descende ad me, reple me mane consolatione tua: ne deficiat prae lassitudine et ariditate mentis anima mea. Obsecro Domine ut inveniam gratiam in oculis tuis; sufficit enim mihi gratia tua: ceteris non obtentis quae desiderat natura. Si fuero temptatus et vexatus tribulationibus multis, non timebo mala: dum mecum fuerit gratia tua. Ipsa fortitudo mea: ipsa consilium confert et auxilium. Cunctis hostibus potentior est: et sapientior universis sapientibus. Magistra est veritatis, doctrix disciplinae; lumen cordis, solamen pressurae, fugatrix tristitiae: ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrimarum. Quid sum sine ea nisi aridum lignum; et stips inutilis ad eiciendum? Tua ergo me Domine gratia semper et praeveniat et sequatur; ac bonis operibus iugiter praestet esse intentum: per Iesum Christum Filium tuum. Amen.

QVOD NOS IPSOS ABNEGARE ET CHRISTVM IMITARI DEBEMVS PER CRVCEM.

CAPITVLVM LVI.

Fili. Quantum a te vales exire: tantum in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere internam pacem facit: sic se interius relinquere Deo con-

iungit. Volo te addiscere perfectam abnegationem tui, in voluntate mea: sine contradictione et querela. Sequere me. Ego sum via veritas et vita. Sine via non itur; sine veritate non cognoscitur: sine vita non vivitur. Ego sum via quam sequi debes; veritas cui credere debes: vita quam sperare debes. Ego sum via inviolabilis; veritas infallibilis: vita interminabilis. Ego sum via rectissima; veritas suprema: vita vera vita beata vita increata. Si manseris in via mea cognosces veritatem; et veritas liberabit te: et apprehendes vitam aeternam. Si vis ad vitam ingredi: serva mandata. Si vis veritatem cognoscere: crede mihi. Si vis perfectus esse: vende omnia. Si vis esse discipulus meus: abnega temet ipsum. Si vis beatam vitam possidere: praesentem vitam contemne. Si vis exaltari in caelo: humilia te in mundo. Si vis regnare mecum: porta crucem mecum. Soli enim servi crucis: inveniunt viam beatitudinis et verae lucis.

Domine Iesu quia arta erat vita tua et mundo despecta: dona mihi te cum mundi despectu imitari. Non enim maior est servus domino suo: nec discipulus super magistrum. Exerceatur servus tuus in vita tua: quia ibi est salus mea, et sanctitas vera. Quidquid extra eam lego

vel audio: non me recreat nec delectat plene.

Fili, quia haec scis et legisti omnia: beatus eris si feceris ea. Qui habet mandata mea et servat ea: ipse est qui diligit me. Et ego diligam eum; et manifestabo ei me ipsum: et faciam eum consedere mecum in regno Patris mei. Domine Iesu sicut dixisti et promisisti: sic utique fiat et mihi promereri contingat. Suscepi suscepi de manu tua crucem; portabo et portabo eam usque ad mortem: sicut imposuisti mihi. Vere vita boni monachi crux est: sed dux paradisi. Inceptum est retro abire non licet: nec relinquere oportet.

Eia fratres pergamus simul: Iesus erit nobiscum. Propter Iesum suscepimus hanc crucem: propter Iesum perseveremus in cruce. Erit adiutor noster: qui est dux noster et praecessor. En rex noster ingreditur ante nos: qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello: nec inferamus crimen gloriae nostrae ut fugiamus a cruce.

QVOD HOMO NON SIT NIMIS DEIECTVS QVANDO IN ALIQVOS LABITVR DEFECTVS.

CAPITVLVM LVII.

Fili. Magis placent mihi patientia et humilitas in adversis: quam multa consolatio et devotio in prosperis. Vt quid te contristat parvum factum contra te dictum? Si amplius fuisset: commoveri non debuisses. Sed nunc permitte transire. Non est primum nec novum: nec ultimum erit si diu vixeris. Satis virilis es: quamdiu nil obviat adversi. Bene etiam consulis et alios nosti roborare verbis; sed cum ad ianuam tuam venit repentina tribulatio: deficis consilio et robore. Attende magnam fragilitatem tuam: quam saepius experiris in modicis obiectis. Tamen pro salute tua ista fiunt: cum haec et similia contingunt. Pone ut melius nosti ex corde; et si te tetigit: non tamen deiciat nec diu implicet. Ad minus sustine patienter: si non potes gaudenter. Etiam si minus libenter audis et indignationem sentis; reprime te: nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire unde parvuli scandalizentur. Cito conquiescet commotio excitata: et dolor internus revertente dulcorabitur gratia. Adhuc vivo ego dicit Dominus iuvare

te paratus et solito amplius consolari: si confisus fueris mihi et devote invocaveris. Animaequior esto: et ad maiorem sustinentiam accingere. Non est totum frustratum: si te saepius percipis tribulatum vel graviter temptatum. Homo es et non Deus. Caro es, non angelus. Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere; quando hoc defuit angelo in caelo, et primo homini in paradiso? Ego sum qui maerentes erigo sospitate; et suam cognoscentes infirmitatem: ad meam proveho divinitatem. Domine benedictum sit verbum tuum: dulce super mel et favum ori meo. Quid facerem in tantis tribulationibus et angustiis meis; nisi me confortares tuis sanctis sermonibus? Dummodo tandem ad portum salutis perveniam: quid curae est quae et quanta passus fuero? Da finem bonum: da felicem ex hoc mundo transitum. Memento mei Deus meus: et dirige me recto itinere in regnum tuum. Amen.

DE ALTIORIBVS REBVS ET OCCVLTIS IVDICIIS DEI NON SCRVTANDIS.

CAPITVLVM LVIII.

Fili. Caveas disputare de altis materiis et de occultis Dei iudiciis: cur iste sic relinquitur, et ille ad tantam

gratiam assumitur; cur etiam iste tantum affligitur: et ille tam eximie exaltatur. Ista omnem humanam facultatem excedunt: nec ad investigandum iudicium divinum ulla ratio praevalet vel disputatio. Quando ergo haec tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines: responde illud prophetae. Iustus es Domine: et rectum iudicium tuum. Et illud. Iudicia Domini vera, iustificata in semet ipsa. Iudicia mea metuenda sunt, non discutienda: quia humano intellectui sunt incomprehensibilia. Noli etiam inquirere, nec disputare de meritis sanctorum: quis alio sit sanctior, aut quis maior fuerit in regno caelorum. Talia generant saepe lites et contentiones inutiles: nutriunt quoque superbiam et vanam gloriam unde oriuntur invidiae et dissensiones; dum iste illum sanctum: et alius alium conatur superbe praeferre. Talia autem velle scire et investigare nullum fructum afferunt; sed magis sanctis displicent: quia non sum Deus dissensionis sed pacis; quae pax magis in humilitate vera: quam in propria exaltatione consistit. Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel ad illos ampliori affectu: sed humano potius quam divino. Ego sum qui cunctos condidi sanctos; ego donavi gratiam: ego prae-

stiti gloriam. Ego novi singulorum merita; ego praeveni eos in benedictionibus dulcedinis meae: ego praescivi dilectos ante saecula. Ego eos elegi de mundo non ipsi me praeelegerunt: ego vocavi per gratiam, attraxi per misericordiam. Ego perduxi eos per temptationes varias; ego infudi consolationes magnificas; ego dedi perseverantiam: ego coronavi eorum patientiam. Ego primum et novissimum agnosco: ego omnes inaestimabili dilectione amplector. Ego laudandus sum in omnibus sanctis meis; ego super omnia benedicendus sum et honorandus in singulis: quos sic gloriose magnificavi et praedestinavi sine ullis praecedentibus propriis meritis. Qui ergo unum de minimis meis contempserit; nec magnum honorat: quia pusillum et magnum ego feci. Et qui derogat alicui sanctorum: derogat et mihi et ceteris omnibus in regno caelorum. Omnes unum sunt per caritatis vinculum; idem sentiunt idem volunt: et omnes in unum se diligunt. Adhuc autem quod multo altius est: plus me quam se et sua merita diligunt. Nam supra se rapti et extra propriam dilectionem tracti, toti in amorem mei pergunt: in quo et fruitive quiescunt. Nihil est quod eos avertere possit aut deprimere; quippe qui aeterna veritate pleni, igne

ardescunt inextinguibilis caritatis. Taceant igitur carnales et animales homines de sanctorum statu disserere: qui non norunt nisi privata gaudia diligere. Demunt et addunt pro sua inclinatione: non prout placet aeternae veritati. In multis est ignorantia: eorum maxime qui parum illuminati, raro aliquem perfecta dilectione spirituali diligere norunt. Multum adhuc naturali affectu et humana amicitia ad hos vel ad illos trahuntur; et sicut in inferioribus se habent: ita et de caelestibus imaginantur. Sed est distantia incomparabilis quae imperfecti cogitant: et quae illuminati viri per revelationem supernam speculantur.

Cave ergo fili de istis curiose tractare quae tuam scientiam excedunt; sed hoc magis satage et intende: ut vel minimus in regno Dei queas inveniri. Et si quispiam sciret quis alio sanctior esset vel maior haberetur in regno caelorum; quid ei haec notitia prodesset, nisi se ex hac cognitione coram me humiliaret et in maiorem nominis mei laudem exurgeret? Multo acceptius Deo facit qui de peccatorum suorum magnitudine et virtutum suarum parvitate cogitat, et quam longe a perfectione sanctorum distat: quam is qui de eorum maioritate vel parvitate disputat. Melius est sanctos devotis preci-

bus et lacrimis exorare, et eorum gloriosa suffragia humili mente implorare: quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari. Illi bene et optime contentantur: si homines scirent contentari et vaniloquia sua compescere. Non gloriantur de propriis meritis; quippe qui sibi nihil bonitatis ascribunt sed totum mihi: quoniam ipsis cuncta ex infinita caritate mea donavi. Tanto amore divinitatis et gaudio supereffluenti replentur; ut nihil eis desit gloriae: nihilque possit deesse felicitatis. Omnes sancti quanto altiores in gloria tanto humiliores in se ipsis: et mihi viciniores et dilectiores existunt. Ideoque habes scriptum; quia mittebant coronas suas ante Deum et ceciderunt in facies suas coram Agno: et adoraverunt viventem in saecula saeculorum.

Multi quaerunt quis maior sit in regno Dei: qui ignorant an cum minimis erunt digni computari. Magnum est vel minimum esse in caelo, ubi omnes magni sunt: quia omnes filii Dei vocabuntur et erunt. Minimus erit in mille: et peccator centum annorum morietur. Cum enim quaererent discipuli quis maior esset in regno caelorum: tale audierunt responsum. Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli: non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo hu-

miliaverit se sicut parvulus iste: hic maior est in regno caelorum. Vae eis qui cum parvulis humiliare se sponte dedignantur: quoniam humilis ianua regni caelestis eos non admittet intrare. Vae etiam divitibus, qui habent hic consolationes suas; quia pauperibus intrantibus in regnum Dei: ipsi stabunt foras eiulantes. Gaudete humiles, et exultate pauperes; quia vestrum est regnum Dei: si tamen in veritate ambulatis.

QVOD OMNIS SPES ET FIDVCIA IN SOLO DEO EST FIGENDA.

CAPITVLVM LIX.

DOmine quae est fiducia mea quam in hac vita habeo; aut quod maius solacium meum ex omnibus apparentibus sub caelo? Nonne tu Domine Deus meus; cuius misericordiae non est numerus? Vbi mihi bene fuit sine te? Aut quando male esse potuit praesente te? Malo pauper esse propter te: quam dives sine te. Eligo potius tecum in terra peregrinari: quam sine te caelum possidere. Vbi tu ibi caelum; atque ibi mors et infernus: ubi tu non es. Tu mihi in desiderio es: et ideo post te gemere clamare et exorare necesse est. In nullo denique possum plene confidere qui in ne-

cessitatibus auxilietur opportunis: nisi in te solo Deo meo. Tu es spes mea tu fiducia mea: tu consolator meus et fidelissimus in omnibus. Omnes quae sua sunt quaerunt; tu salutem meam et profectum meum solummodo praetendis: et omnia in bonum mihi convertis. Etiam si variis temptationibus et adversitatibus exponas; hoc totum ad utilitatem meam ordinas: qui mille modis dilectos tuos probare consuevisti. In qua probatione non minus diligi debes et laudari: quam si caelestibus consolationibus me repleres. In te ergo Domine Deus pono totam spem meam et refugium: in te omnem tribulationem et angustiam meam constituo; quia totum infirmum et instabile invenio: quidquid extra te conspicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarii adiuvare poterunt: nec prudentes consiliarii responsum utile dare, neque libri doctorum consolari; nec aliqua pretiosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus et amoenus contutari: si tu ipse non assistas iuves confortes consoleris instruas et custodias. Omnia namque quae ad pacem videntur esse et felicitatem habendam; te absente nihil sunt: nihilque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum et altitudo vitae, et profunditas eloquiorum tu es: et in

te super omnia sperare fortissimum solacium servorum tuorum. Ad te sunt oculi mei: in te confido Deus meus misericordiarum Pater. Benedic et sanctifica animam meam benedictione caelesti, ut fiat habitatio sancta tua et sedes aeternae gloriae tuae; nihilque in templo tuae dignitatis inveniatur: quod oculos tuae maiestatis offendat. Secundum magnitudinem bonitatis tuae, et multitudinem miserationum tuarum respice in me: et exaudi orationem pauperis servi tui longe exulantis in regione umbrae mortis. Protege et conserva animam servuli tui inter tot discrimina vitae corruptibilis: ac comitante gratia tua dirige per viam pacis ad patriam perpetuae claritatis. Amen.

LIBELLVS DE DISCIPLINA CLAVSTRALIVM

CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS.

In quibus consistit disciplina claustralis I
De diversis temptationibus et insidiis diaboli . . II
De vera conversione ad Deum qui est summum bonum III
De oboedientia humilis subditi erga praelatum suum IIII
De custodia cordis et reditu ad interiora V
De custodia oris et exercitio laboris VI
De recommendatione cellae et solitudinis VII
De choro et divino officio peragendo VIII
De discretione in omni spirituali exercitio servanda IX
Oratio de felici consummatione in virtutibus . . X
De caritate Dei et proximi et odio vitiorum . . . XI
De abstinentia et castitate XII
De utili exercitio in vita et passione Christi . . XIII
De commemoratione et invocatione beatissimae virginis Mariae XIIII
De suffragiis sanctorum sedule petendis XV
De desiderio animae ad caeleste regnum XVI

INCIPIT LIBELLVS DE DISCIPLINA CLAVSTRALIVM.

IN QVIBVS CONSISTIT DISCIPLINA CLAVSTRALIS.

CAPITVLVM I.

Apprehendite disciplinam: ne quando irascatur Dominus et pereatis de via iusta. Disciplina claustralis si strenue servetur, ad magnam perfectionem ducit; ab aeterna damnatione liberat: et in caelesti regno altissime coronat. Consistit autem disciplina in tribus praecipue: ut silentium bene servetur; ut divinum officium devote celebretur: et opus manuum impigre exerceatur. Vbi disciplina viget: ibi maior pax et spiritualis profectus invenitur. Vbi disciplina perit, ibi dissolutio crescit; ibi vitia intrant: et virtutes enervantur. Vbi disciplina custoditur, ibi adest gratia cae-

lestis; ibi devotio floret, ibi lectio sapit, ibi meditatio dulcescit: ibi oratio fervet, ibi gratiarum actio et vox laudis resonant, mens iubilat; ibi intellectus illustratur: ibi caro marcescit, et spiritus elevatur. Qui amat disciplinam, laetificat conscientiam; acquirit bonam famam: et adauget sibi gloriam aeternam. Amator disciplinae custodit os suum; quaerit secretum, fugit tumultum, vitat risum, diligit luctum, ut inveniat Iesum sibi propitium et amicum. Qui extra disciplinam esse quaerit, diaboli laqueos incurrit: et devotionem mentis perdit.

In tribus locis libenter esto cum fratribus propter communem disciplinam: in choro ad psallendum, in cella ad scribendum et legendum: in refectorio ad sobrie comedendum et verbum Dei audiendum. Vbicumque verbum Dei legitur, ibi Spiritus sanctus occulte operatur; qui malos de peccato redarguit, et bonos per spem et consolationem scripturarum confortat: ut amplius proficiant, et disciplinam ordinis fortiter teneant. Hinc Paulus admonet dicens. In disciplina perseverate: et tamquam filiis vobis offert se Deus. Hinc David orat, dicens. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Et alibi multum eam commendans ait. Et disciplina tua correxit me in finem. Et

disciplina tua ipsa me docebit. Magnum donum Dei est habere scientiam scripturarum: sed magis praeferendum videtur servare ordinis disciplinam. Hinc summus magister Christus docens discipulos suos legem vitae et disciplinae: sic ait. Si haec scitis: beati eritis si feceritis ea Nam tanto fit quisque beatior coram Deo: quanto ferventior est pro observantia disciplinae.

Duo bona praetendit omnis regularis disciplina; ut statuta diligenter serventur: et neglegentes pro culpis suis corrigantur. Devoti et boni fratris est violentiam sibi facere contra pravitatem naturae, et sponte se subdere disciplinae: nec aliquid ordinatum praeterire. Nam qui amat disciplinam sapiens est: et ditabitur virtutibus multis. Qui autem odit correptiones insipiens est: et honore carebit.

Considera mores fratris disciplinati; quia non est levis verbis nec oculis vagus, sed ambulat in timore Dei, et facit opera sua cum diligentia: custodiens silentium et amans cellae quietem. Non murmurat non detrahit: sed Deo omne iudicium committit, et se ipsum prae oculis habet; et quae sibi commissa non sunt, de illis tacet: ut liberius sibi ipsi vacet. Nam nimis insipiens est qui propria neglegit: et alienis rebus se implicat. Disciplinam

ergo ubique serva: et erit tibi pax et gloria magna. Omne quod non decet: studeas cavere. Quicquid Deo placet, fac cum alacritate: nec propter hominum displicentiam, infringe ordinis disciplinam. Stulte agit qui contra conscientiam facit: et Dei offensam propter homines incurrit. Nam qui ordinem suum non servat: per praevaricationem legis Deum inhonorat. Si videris quempiam neglegenter agentem, corripe illum ut fratrem, et trahe ad emendationem, sed noli sequi eius errorem; nec tantum diligas ut in malo ei consentias: ne cum ipso cadas et pereas. Quisquis pro ordinis disciplina zelat et libenter ac gratanter admonitiones capit: specialem gratiam a Deo obtinebit, et in die exitus sui de corpore ab auditione mala non timebit: sed cum electis de praemio laboris sui gaudebit Christo dicente. Euge serve bone; quia in pauca fuisti fidelis intra in gaudium Domini tui. Qui neglegens est et dissolutus Deum offendit et homines: et peior est paralytico iacente in grabato; quia iste defectum patitur a natura: ille vincitur cordis inertia. Virtuosius est passiones domare: quam daemones fugare. Et maioris caritatis est neglegentem admonere: quam eleemosynam dare. Quem taedet orare et delectat fabulari; qualis fervor est in

eo? Prorsus nullus. Nam si ferveret intus: vitaret vaniloquia foris. Sed quomodo potest quis accendi ad fervorem spiritus? In faciendo sibi frequenter violentiam contra consuetudinem malam: et tenendo ordinis rigorem secundum formam sibi praescriptam. Tepidus semper conqueritur de gravitate disciplinae: fervidus amplectitur cum hilaritate. Sed dicis. Timeo frangere caput meum: et incurrere debilitatem. Quid loqueris tepide et dissolute? Nescis quid pateris. Times parva: et non times magna? Times dolorem in corpore: et non times gravitatem malae conscientiae? Times ieiunare, times vigilare, times silentium servare; et non times in igne cremari, a daemonibus torqueri, et a regno Dei excludi? Vanus est timor iste; de modica afflictione corporis frequenter cogitare praesentia mala solummodo perpendere: et minus ponderare quae aeternaliter animam salvant aut damnant. Revertere ad cor tuum; convertere ad Deum qui fecit te: spera in eo et iuvabit te. Si non potes ei servire sano capite: tunc servias ei debili capite; et coronabit te rosis ac liliis suavissimis cum martyribus sanctis in caelis: quia sustinuisti dolores et labores in terris. Noli ergo propter modicum corruptibilis vitae amorem illicita admittere; noli saecu-

laria solacia quaerere: separa te ab ineptis fabulis, intende sacris studiis; serva disciplinam, subiuga carnem, imple oboedientiam: et salvabis animam tuam iuxta Christi sententiam. Qui odit inquit animam suam in hoc mundo: in vitam aeternam custodit eam. Cum indisciplinato non habeas familiaritatem; ne discas levitates eius: et similis ei fias in confusionem ordinis tui. Iunge te religioso morigerato et devoto fratri: ut aedificeris semper in bono. Vnus indisciplinatus et verbosus multos inquietat: et qui eum compescit optime facit. Talis saepe est admonendus et increpandus, ut suas dissolutiones dimittat: et ad devota exercitia se convertat. Nemo se per alium vitiose excuset; sed de propria salute cogitet: et tempus sibi indultum fructuose expendere curet sicut et beatus Paulus dicit. Dum tempus habemus: operemur bonum ad omnes. Ille ad omnes bonum operatur, qui strenue servat disciplinam: et ceteris in conventu dat bonum exemplum. Benedictus ille frater: qui in omnibus se vincere nititur: quia coronabitur pro omni quod pro Christo patitur. Ad tenendam formam spiritualis disciplinae: beatus Paulus discipulos suos diligenter exhortatur dicens. Quaecumque sunt vera quaecumque pu-

dica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus si qua laus disciplinae: haec cogitate, quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me. Ecce quam sollicitus fuit beatus Paulus pro observatione disciplinae: et pro bono exemplo posteris relinquendo. Nam maximum meritum sibi in caelestibus accumulat: quisquis disciplinam in se et in aliis amat.

De diversis temptationibus et insidiis diaboli.

CAPITVLVM II.

Vbique diabolus insidiatur bonis et devotis: maxime tamen religiosis personis in ordine sub disciplina constitutis. Idcirco primus sanctae ecclesiae pastor beatus Petrus fideles admonet dicens. Vigilate; quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Hinc etiam beatus Iohannes in Apocalypsi clamat: praemuniens ad cautelam. Vae terrae et mari: quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. Siquidem propter excellentiam status religiosorum deiciendam diabolus acrius servos Dei temptat; et frequentius eos quam

saeculares impugnat: quia invidet gloriae sanctitatis devotorum continenter viventium. Scit enim, quod illi altius praemiabuntur in caelo: qui purius vixerint in mundo. Vnde quanto graviores temptationes sustinent, si viriliter resistunt, et se ipsos vincunt: tanto gloriosiores erunt apud Deum in futuro quia fortiter certaverunt. Ex quo diabolus proiectus est de caelo propter superbiam suam, non cessat circuire terram; quaerens quem pravis suggestionibus decipiat, et vulneret per delectationem morosam ad perdendam Dei gratiam: ac secum tandem trahat in aeternam damnationem. Et sicut olim temptavit primum hominem in paradiso et filios Israel in deserto; ita nunc temptat et persequitur religiosos in claustro: ut remisse vivant, et statuta sua frangant; ut praelatis suis resistant et inoboedientes fiant: quatenus huiusmodi contagiis depravati caelestem gloriam perdant; et causam contra eos habeat: unde in iudicio graviter eos accuset. Vigilandum igitur omni tempore, et in omni loco caute respiciendum: ne desides et inermes servos Dei satanas inveniat; quia ipse numquam dormit nec fatigatur: sed a dextris et a sinistris insidiatur. Desides faciliter capit; et hi sunt qui parum laborant: et bene comedere volunt. Inermes cito vul-

nerat; et hi sunt qui raro orant: et in corde modicum de sacra lectione servant. Foris evagantes illecebris inficit; otiose stantes fabulis conectit: ut opera sua neglegant, et alios impediant. Bene etiam agentes a bono incepto revocat; legere vel orare volentes dormitare facit: surgere conantes in lectulo tenet. Non est locus in claustro quem satanas hostis monachorum non perlustrat: ut unam saltem oviculam de grege Christi rapiat et perdat. Quapropter pastor caelestis alta voce cornu salutis sufflat, et ovibus suis ait. Vigilate et orate: ut non intretis in temptationem. Ac si dicat. Lupus rapax circuit tabernacula vestra: serpens antiquus callide quaerit foramen intrandi ad interiora cordis vestri; ut dentem infigat per iram: aut osculo mulceat per turpitudinem. Vos ergo vigilate animo, et orate corde et ore die ac nocte; quia ab omni parte vobis instat bellum, et nil tutum sub caelo, et adversarii multi docti ad proelium mittentes sagittas acutas, et laqueos abscondentes pedibus vestris: ut cadatis in itinere recto, et a sancto proposito recedatis. Sed state firmiter et pugnate fortiter pro animabus vestris: ego Dominus ero vobiscum. Observate autem caute quales imagines vobis ingeruntur; sive de mundo sive de carne

sint: et claudite ostium cordis vestri ac signo crucis vos armate ne diabolus intret; quia temptare vos venit, et ad consensum peccati trahere: ut Deum offendatis et eius gratiam perdatis. O religiosi amici Dei attendite a callidis et mortiferis diaboli immissionibus ne moram in his faciatis; sed mox ut sentitis motus illicitos, mentem vestram avertite et nomen Domini invocate: dolentes de malo vobis ingesto; et bonam cogitationem de Deo et spirituali materia assumite: et in compunctione sancta vos exercete. Sic autem facientes fugiet diabolus confusus; et accedent angeli sancti vobis in solacium missi: qui confortabunt manus vestras contra aereas potestates. State ergo in timore Dei: et semper circa initium temptationis vigilate et orate cum gemitu cordis in spiritu humilitatis; nil grande nil laudabile de vobis ipsis sentientes: sed fragiles homines et inutiles servos veraciter vos agnoscentes. Quidquid etiam boni sapitis vel agitis: non vestrae hoc industriae et labori sed divinae gratiae et misericordiae ex integro ascribatis. Neminem tantum diabolus timet et refugit: sicut humilem: et semet ipsum despicientem. Et contra nullum tantum praevalet: sicut contra superbum et de se praesumentem.

Cave ergo superbiam, si non vis pati ruinam. Si non vis seduci et supplantari: noli extolli nec inaniter gloriari. Quamvis in monasterio sis vel in solitudine, non es tamen liber a temptatione; quia Christum diabolus temptavit in deserto qui erat plenus Spiritu sancto. Quamdiu ergo vixeris: oportet te pugnare contra insidias diaboli et proprias passiones. Et si interdum cessat ad modicum tempus, hoc facit ad fraudem; ut cum incustoditus fueris et laxus subito et inopinate te prosternat. Temptat in choro; ut cum taedio psallas: et parum advertas ad sensum verborum. Reducit ad mentem phantasmata rerum exteriorum quae prius vidisti et audisti; quatenus fructum orationis tollat: et chorum tibi in gravitatem vertat. Temptat in refectorio; ut plus vel lautius comedas: aut etiam de aliquo defectu murmures. Temptat in cella: ut pigre labores, aut rarius ores vel modice legas; sed cito inde exeas et fabulari quaeras et tardius ad cellam redeas. Temptat tempore silentii, ut verbum illicitum proferas; et si loqui licet mox ad inania et nociva instigat: ut conscientiam macules et fratrem tuum offendas. Vigila ergo et ora Deum semper; ut det tibi gratiam contra satanae astutias: qui tam prosperis quam adversis insidiatur omnibus devotis.

De vera conversione hominis ad Deum qui est summum bonum.

CAPITVLVM III.

Multae sunt aversiones nostrae a Deo summo bono; quia ex propria iniquitate et magna fragilitate, cito labimur ad inferiora et terrena concupiscenda: quae nos satiare non valent, nec etiam permanere nobiscum. Opus est ergo cotidiana conversione ad Deum: a quo saepius avertimur ad nos ipsos inordinate nos diligendo; aut aliquas creaturas vane aspiciendo, vel etiam male utendo: et plus de temporalibus quam de divinis rebus cogitando. Saepe etiam odimus perverse salutaria et quae sunt pro disciplina; et affectamus habere quae commoda sunt et iucunda: non attendentes quid dicit conscientia: et quantum displicet Deo aversio nostra ab ipso ad ista caduca. Et quamvis aliquem iustum et bonum scimus, si contrariatur voluntati nostrae, et aliquam proponit restrictionem inducere ex virtute; incipimus ei improbe resistere, et viliter de eo sentire: et dicimus quod sibi non sit credendum. Et hic error in plerisque religiosis invenitur: qui contra beneplacitum Dei et superioris sui sensum appetunt prosequi intentum suum;

minus ponderantes grave iudicium sibi imminere: si plus quam oportet in causis propriis de semet ipsis confidunt. Quod ex elatione cordis et agitatione diaboli procedit: qui in spiritu proficere conantes ad laxationem carnis trahere quaerit. Non enim sufficit ad veram hominis conversionem saecularis habitus mutatio, quae una die vel hora fieri potest; sed illa est vera et religiosa conversio: cum quis nititur vitia sua vincere, et magno fervore pro virtutibus instat. Debemus igitur quantum possibilitas admittit nos qui religiosum habitum gerimus cor nostrum ab omnibus materialibus et visibilibus rebus avertere et ad invisibilem conditoris nostri faciem contemplandam elevare et anhelare semper ad caelestia; atque per singulos dies omnique hora immo totiens quotiens evagatio mentis accidit pro venia humiliter supplicare: et cum propheta gemebunde dicere. Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Quando ita facimus Deus libenter suscipit preces nostras; et gaudent angeli sancti in caelo de nobis quia convertimur ex toto corde ad Dominum Deum nostrum: qui est beatitudo omnium sanctorum. Sed satan e contrario conatur ab hoc summo bono religiosam animam abstrahere et per diversas occasiones et temptationes eam

impedire; immittitque cogitationes superbiae irae gulae impudicitiae, invidiae discordiae, duritiae, fallaciae blasphemiae diffidentiae pusillanimitatis, inconstantiae dissolutionis et neglegentiae ceterorumque malorum quae enumerare longum est: quatenus a caelestium dulcedine et angelica puritate retardet, et in infimis et vanis rebus diutius teneat; necnon ut propter nimiam difficultatem vincendi temptationes Deum quaerere et invocare cesset: et sic tandem omnem spiritualem profectum et laborem pro custodia cordis quasi ex taedio boni postponat. Haec sunt opera inimici: a facie Dei caeli proiecti. Nam cum ipse totus sit a Deo aversus machinatur omne malum contra bene agentes: et praecipue cum orare et ad interiora se convertere voluerint, atque pro delictis suis deprecari. Heu nequam pessimus, insidiatur callide omnibus bonis. Nam rete suum per totum mundum subtiliter texit ac latissime expandit; monachos et moniales subditos et praelatos solitarios et officiales circumdat et temptat: ut vel unum pisciculum hamo concupiscentiae illiciat, et de piscina claustralis custodiae ad litus saeculi trahat; ubi per visum auditum, iocum et risum aliquo peccati contagio inficiat: quatenus nullus sine periculo evadat. Quapropter religiosus

servus Dei vias suas diligenter custodiat; et evagationes tam mentis quam corporis compescat: ne summum bonum amittat, quod cum infimis teneri non potest; sed mox, ut se abstrahi et impediri sentit ad Deum per orationem et contritionem redeat et cum sancto David oret et dicat. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Sicut enim peccando et in creaturis delectando homo captivatur et a Deo separatur: sic paenitendo ad eum revertitur et sanatur. Nam peccando fit sordidus frigidus et aridus; sed iterum paenitendo orando et flendo pro commissis, intus mundatur accenditur et irrigatur. Et saepe ad maiorem cautelam et rigorem servandum: per facilitatem lapsus sui eruditur et solidatur. Ille autem vere conversus est nec in vacuum nomen religiosi et habitum portat; qui saeculo moritur et Christo vivere delectatur: qui omnia opera sua et cogitationes ad Deum finaliter refert; qui honorem Dei et laudem nominis eius in omnibus dictis et factis suis quaerit et desiderat: nil de privato amore et proprio commodo cupiens habere; sed semet ipsum cum omni bono quod fit in caelo et in terra offert et elevat: gratias immensas Deo summo bono referendo, a quo omne bonum creatum descendit et emanat.

De oboedientia humilis subditi erga praelatum suum.

CAPITVLVM IIII.

Ad bonum subditum pertinet mandatum oboedientiae hilariter amplecti et nihil de propria voluntate retinere; sed exemplo Christi in manus Dei et praelati sui sponte se resignare: quia hoc est gratissimum donum quod potest Deo offerre. Caveat ergo omnis bonus subditus ne praelatum suum temere iudicet; nec vias eius curiose scrutetur: sed potius eius dicta et facta in melius interpretetur. Et si quaedam minus utilia apparent et aliqua defectuosa in eo reperiuntur; non despiciat nec arguat eum: sed excuset et pie toleret; et caritative si ita convenit admoneat: aut paterne obsecret per se vel per alium magis idoneum, quia magnum onus super se habet. Saepius etiam pro eo secrete oret; ut Deus eum custodiat et confortet: cum nullus sit in tota domo qui tantam cotidie sollicitudinem pro omnibus gerat. Raro namque invenitur praelatus: qui possit cuilibet satisfacere vel placere pro voto. Ideo iuvari debet a subditis et honorari; atque portari ab omnibus et excusari coram infirmis: qui cito suspi-

cantur, dum ipsis resistitur, et aliquid negatur. Ipse est utique qui omnes tolerare habet, et in ore omnium ventilatur; cui et facile imputatur quod male gestum est: aut neglectum aestimatur. Sed hoc virtuosum non est: immo aemulorum studium, qui quaerunt in praelato quod reprehendant. Non est credendum ei nec consentiendum qui superiori suo detrahit, et ad resistendum sibi rationes quaerit; nolens acquiescere vicario Christi: qui loquitur ex ore Dei pro salute subditi, sub potestate praesidentis constituti. Nam multum superbe sapit, et periculose agit; qui pertinaciter in sensu suo abundat: ut proprium videre ordinationi praelati sui praeponat. Sed qui meritum sanctae oboedientiae attendit et oboedientiam Christi et sanctorum vitam pensat: absque mora et mussitatione verbum sibi mandatum implere satagit, nec curiose discutit; sed etiam quod frivole sonat, propter virtutem oboedientiae dignanter capit: et ad profectum animae suae convertit. Hoc enim valde laudabile est et honestum; et inter opera meritoria summe meritorium: et conscientiae propriae magis securum. Subditorum est humiliter acquiescere consiliis maiorum et sine recalcitratione oboedire praelatis. Hoc pro

magna sapientia tene; si de propria sapientia nihil habes: et simplicem oboedientiam omnibus rationibus et privatis rebus praefers. Qui hoc facit Deo placet; et praelato suo carus erit: qui pro eo rationem reddet. Talis subditus multum alleviat onus praelati sui; et providet sibi optime in futuro: ne sub gravi discrimine cadat in iudicio coram Deo. Qui vult summae perfectioni cito propinquare: studeat ante omnia oboedientiam servare. Magna et egregia virtus simplex et pura oboedientia nesciens tarda molimina nec parans argumenta: sed implens iussa sine querela. Ideoque magna ei debetur corona: et cum martyribus percipiet palmam; quia certavit fortiter et subegit naturam, oboediendo usque ad mortem. Quoniam quidem fortissimum vincendi genus est, semet ipsum perfecte vincere et abnegare propter oboedientiam; quae monachorum est laus maxima: et omnium religiosorum corona pulcherrima.

O felix et venerabilis oboedientia: quam praedicavit et servavit Iesus Christus Dominus noster aeterna Patris sapientia dicens. Quia descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Et cum iret ad locum passionis: ita oravit cum abnegatione pro-

priae voluntatis. Pater si non potest hic calix transire nisi bibam illum: fiat voluntas tua. Hanc etiam promptissime exhibuit et plenissime expressit beatissima mater Iesu virgo Maria: his verbis dicens ad angelum. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Sic decet omnino sic debet niti facere, et etiam dicere bonus subditus coram praelato suo cum humilitate et reverentia. Ecce pater sicut dicitis et consulitis: ita libenter faciam pro viribus meis. Haec namque virtus praefertur victimis et donis; haec praeterita mala delet, a futuris custodit: poenam laxat et ab aeterna damnatione salvat. Per hanc fit homo dilectus Deo; et tam familiaris Christo: ut frater eius esse mereatur. Quicumque inquit fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est: ipse meus frater, et soror et mater est.

O quam pretiosa est haec virtus in subditis: ut securi coram Deo appareant de culpis sibi obiectis. Qui hanc eligit et tenet; recto cursu ad patriam tendit, quam Adam et Eva inoboediendo amiserunt: sed Christus et Maria pro nobis oboediendo recuperarunt. Haec sancta et simplex oboedientia plus prodest quam alta doctrina; utilior est, quam potentia: et securior quam dignitas aut praelatura.

Quod si cum scientia et dignitate invenitur oboedientia; multum commendanda est illa anima: et magni meriti inter sanctos reputanda. Exemplum perfectae oboedientiae claret in Abraham patriarcha; qui oboediendo Deo exiit de terra et cognatione sua ac demum unicum dilectum filium immolare paratus fuit. Propter quod caelesti voce benedici meruit et pater multarum gentium nominari: atque per omne saeculum honorari. Ad hanc sane oboedientiae utilissimam virtutem, beatus Paulus hortatur: scribens ad Hebraeos. Oboedite inquit praepositis vestris: et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris: ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Hanc sanctam oboedientiam quae ad salutem maxime est necessaria commendant veteris ac novi Testamenti plura testimonia: et sanctorum devotissima exempla. Hanc leges et iura dictant maioribus et praelatis exhibendam: cum humili subiectione et reverentia. Cogitet ergo cui grave est oboedire et qui saepius nititur se excusare aut callide ab oboedientia subtrahere quales subditos ipse vellet habere: quia utique bonos et humiles et non rebelles. Igitur studeat iam esse talis ad suum praelatum: quales

optaret habere si eligeretur ad praesidendum. Discat primitus alteri humiliter subesse, et reverenter oboedire: ut dignus sit alios instruere et utiliter regere possit; ne maiori periculo stringatur, si hoc ab aliis exigit: quod ipse minime impendit. Quomodo enim potest servari status religionis et regimen domus in claustris; nisi omnes subditi oboediant praelatis suis? Nam si omnes regere volunt, et quilibet agere contendit quod ei placuerit; erit confusio magna et turbatio frequens: peribit disciplina crescet dissolutio; abscedet timor Dei: et libertas carnis regnabit. Vbi enim oboedientia non curatur, et praelatus parum reveretur: ibi bonum regimen annullatur.

De custodia cordis et reditu ad interiora.

CAPITVLVM V.

Quamvis de facili homo ad exteriora sit inclinatus, et libenter capit aliquam consolationem a creaturis ex appetitu sensualitatis; tamen niti debet redire ad se ipsum per contritionem spiritus: ne perdat maiorem gratiam intus. Nam efficitur vagus et lubricus: si sequitur affectiones suas in curiosis rebus videndis et habendis. Igitur semper sta super custodiam cordis tui: et ad in-

teriora tempestive redi etiam violenter te compelle intrare ad cordis secretum; quia cum intus non est pax: non erit tibi bene quidquid foris hauseris in terrenis. Multum valet pro pace et custodia cordis si exteriora tua discrete ordinaveris, et quaedam exercitia spiritualia apud te conservaveris; ut scias quando legere, quando orare, quando operari, quando meditari: quando tacere, quando loqui, quando solus, quando cum aliis esse debeas; ut omnia in tempore suo, cum bona deliberatione facias: et nullo tempore a sancto opere et pio exercitio vaces.

Quaedam omnino fugere debes; ut fabulas leves et saeculi rumores, homines saeculares, mulierum allocutiones, iuvenum familiaritates, amicorum visitationes, hospitum salutationes: quia ista distrahunt mentem et maculant conscientiam: et qui talibus delectatur: ab internis bonis minoratur.

Quaedam sunt fortiter tenenda; ut rigor disciplinae in silentio et ieiunio in vigiliis et aliis laboribus ad castigationem corporis pertinentibus: quia nisi corpus sub freno subiectionis teneatur, fit spiritui contrarium; et multas temptationes in anima suscitat, unde intellectus hominis excaecatur: et fervor devotionis refri-

gescit. Sunt quaedam patienter toleranda; ut defectus temporalium, damna bonorum, vexationes adversariorum, aegritudines corporum mores imperfectorum, austeritates verborum, subtractiones solaciorum, et afflictiones amicorum: in quibus homo probatur, et tamquam in igne purgatur; et si bene utitur istis contrarietatibus: cedent sibi ad magnum meritum aeternae retributionis.

Sunt etiam quaedam statim respuenda; ut aperta vitia et peccata Dei praeceptis et virtutibus contraria. Interdum aliqua latenter se ingerunt sub specie licitae dispensationis; quando tamen cupiditas vel tepiditas agitat negotium ultra necessitatis terminum: ubi cavendum est seductionis venenum. Igitur secundum sapientis consilium omni custodia serva cor tuum: ne aliquid impurum intret quod Deum offendat. Si te sentis aliquo vitio moveri adhibe tempestive remedium: ne diutius differendo passio crescat et deterior fiat. Non est vitium tam grave quin curari possit si vulnus aperiatur: et spiritualis medici consilium requiratur. Sed aliud est scire remedium aliud adhibere remedium. Multi sciunt quid agendum sit quidve cavendum; sed non adhibent diligentiam ad cordis orisque custodiam: ideo ex levi occasione tra-

huntur ad consueta vitia. In hac vita quae tota temptatio dicitur, oportet cotidie certare et firmiter proponere, et gratiam divinam implorare: donec status huius lubricae vitae et intestini certaminis fuerit finitus. Non invenitur hic aliquod remedium quo plene omnes vitiorum morbi sanentur; ita quod nullus motus concupiscentiae sentiatur: quia hoc futurae beatitudinis est donum sanctis promissum. Sed tamen gratia Dei iuvante possunt mali motus refrenari; et occasiones peccandi vitari: atque maculae contractae per singulos dies paenitendo lavari. Magnus labor est cor custodire ab irruentibus vitiis: et non affici ad aliqua sensibilia foris. Aut enim creator te movet aut creatùra: et secundum statum mentis moventur leviter corporis membra; et nihil fit in verbo vel opere: quod ex radice cordis non procedit. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: et malus profert malum ait Dominus. Debes ergo maxime vigilare circa custodiam cordis: et considerare quales cogitationes et affectiones intus geris; ut malas cito respuas et bonas assumas: ac de utilitate animae tuae semper sollicite pensare: iuxta illud prophetae verbum. Anima mea in manibus meis semper: et legem tuam non sum oblitus. Si hoc

fecit David sanctus et rex terrenus curam totius regni possidens; quanto magis religiosus Deo professus omnibus curis terrenis neglectis, debet habere animae suae salutem prae oculis? Ad puritatem cordis valde iuvant solitudo et silentium: studere, legere, orare, meditari, et nil velle scire de statu mundi; quia saepe plus nocent mala audita: quam bona prosunt in libris lecta. Vix enim reperitur actio tam bona: cui aliquid mali non admiscetur. Et in omni verbo vel facto adversarius tendit laqueos: ut ab interna vacatione retrahat mentem. Novit quippe cor humanum: quia si non delectatur in bono cito labitur in malum.

De custodia oris et exercitio laboris.

CAPITVLVM VI.

Magnam ori tuo custodiam adhibe: quia de omni verbo otioso oportet te reddere rationem. Qui non refrenat linguam suam ait beatus Iacobus apostolus: huius vana est religio. Nam ex incustodia linguae multa mala solent provenire; a quibus homo taciturnus liber est: nec indiget culpam confiteri. Velis ergo libenter tacere et ab otiosis verbis te cavere; quia longa fabulatio devotionem extinguit, dissolutionem generat,

tempus male expendit: conscientiam laedit, et alios offendit. Silentium est antiquum statutum religiosorum a sanctis patribus introductum: et cum multa diligentia custoditum. Qui hoc leviter frangit: Deum et omnes sanctos graviter offendit. Christus dixit. Sit sermo vester est est: non non. Quod amplius est: a malo est. Breviter ergo et plane loqui docuit quando licet: sed quando non licet tacendum est. Si vis bene servare silentium, fuge publicum; et vade in secretum locum ut ores: vel ad cellam ut legas vel scribas. Melius esset quod legeres unum psalmum vel orationem dominicam pro peccatis tuis vel amicis: quam sic stares fabulando de materiis vanis. Non est vera recreatio dicenda otiari et fabulari; sed magis execratio nominanda: quando opus Dei neglegitur, et nugae recitantur. Vade ergo ad opus tuum, et labora in vinea Dei pro denario aeternae vitae; ne tibi improperet pater familias, quid hic stas tota die otiosus? Laudat scriptura bene operantem; remunerat Christus servum fidelem; arguit pigrum et neglegentem; iubet ab eo tolli gratiam concessam: et dari eam ferventius operanti. Veniet namque tempus quando non poteris amplius operari: nec unum quidem verbum loqui prae infirmitate. Hoc modo debes praecogitare; et

semper de extrema hora pavere: ne vacuum te inveniat. Vnde Dominus Iesus discipulis suis dixit. Me oportet operari opera eius qui misit me: donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Accipe ergo exemplum bona operandi a Christo Iesu, a sancto Paulo, a sancto Antonio, a sancto Augustino, a sancto Hieronymo, a sancto Benedicto a sancto Francisco, a sancto Dominico, et ab omnibus sanctis patribus qui regulas monachorum scripserunt: et religionem instituerunt. Revera multum isti in ordine laboraverunt; et pro vita aeterna duriter corpora sua castigaverunt: in ieiuniis multis in solitudine et silentio, in vigiliis et orationibus, aliisque sacris Deo placitis observantiis et laboribus Domino servientes. Quid igitur? Aestimas quod tu fabulando et hinc inde spatiando obtinebis gloriosissimam coronam; quam sancti Dei adepti sunt, sanguinem suum fundendo nec non gravissima tormenta tolerando? Nequaquam. Sed nisi paenitentiam egeritis ait Dominus Iesus paenitentiam praedicans: omnes similiter peribitis. Dura sententia: sed utilis pro emendatione tua et disciplina servanda. Emenda ergo vitam, et non timebis poenam: sed gloriam habebis aeternam.

Lucae XIII.

De recommendatione cellae et solitudinis.

CAPITVLVM VII.

QVi cellam amat et libenter in ea commoratur: a multis peccatis et temptationibus custoditur. Quanto studiosius inhabitatur: tanto plus placet et amatur. Quanto neglegentius servatur, et rarius intratur: tanto magis horretur et fastiditur. Bene illi qui eam diligit et incolit: quia unctio Spiritus sancti eum docebit. Beatus, cui inhabitare cellam donatum est: et qui usque ad terminum vitae suae in ea perseverat. Vae illi qui levi occasione eam deserit, et cui extra manere placet: quia cito seducetur, et capietur, et laedetur. Multi quia eam studiose non custodierunt: per varias occasiones inter saeculi actiones proiecti sunt et male perierunt. Heu quod tamdiu in ea perseverare nequimus: donec fructum maturum ex ea percipiamus. Sic se homo deberet tenere: quasi cotidie iturus in sepulchrum. Nam tali homini non est cella fastidium: sed pacis domicilium. Et sicut stabili homini cella est paradisus: ita vago carcer videtur et cippus. Bonum tamen est et laudabile: si quis velit ibi propter Deum libenter incarcerari. Nam plures sancti martyres propter

Iesum incarcerati et vincti fuerunt. Elige ergo ibi sponte ligari: ut sanctorum meritis possis coaequari. Liget te potius timor Dei quam ferrum: et caritas magis quam indicta necessitas. Si non amor: saltem timor Dei te coerceat. Non es male ligatus: si timore inferni compunctus pro peccatorum tuorum paenitudine te incluseris. Male ligati sunt: qui corde et corpore evagari quaerunt. Bene ligatus est, qui Deo professus est: et extra cellam ire inclinatus non est. Si vis in ea durare: numquam sis otiosus. Acedia et otium: expellunt monachum verbosum de cella. Amans silentium et operans cum quiete: bonus erit custos cellae. Si taedium passus fueris, pro Christo agoniza: nec patiaris te expelli ex levi causa. Si manseris stabilis: cito vertetur carcer tuus in paradisum voluptatis. Sancti in carceribus pro Christo detenti, ab angelis sanctis frequenter sunt visitati et abundantius consolati. Tu quoque si te in cella patienter pro Christo clauseris, veniet tibi cito Deo miserante lumen caelitus: bonae conscientiae gaudium, et magnum spiritualis profectus lucrum. Qui in cella residet: a multis periculis liber est. Qui foris vagatur: innumeris periculis patet. Bona cellae nequeunt sufficienter explicari: sicut nec detrimenta extra va-

gantium. Custos cellae custos est linguae; non audit detractiones, non percipit rumores: non videt vanitates, non trahitur ad levitates. Bonus cellita aut legit, aut orat, aut gemit aut meditatur; aut scribit aut corrigit libros: aut aliquid aliud boni operatur. Bonus cellita civis est caeli; amicus Dei, socius angelorum, cognitor secretorum, inspector supernorum, victor temptationum, expulsor daemonum, bellator vitiorum, contemptor mundanorum: neglector curarum, possessor quietis, obtentor pacis amator scripturarum; speculator veritatis, gustator puritatis, continuator orationis, collector sanctae meditationis, et destructor omnis evagationis. Cogita Deum et te solum esse in mundo: et habebis magnam requiem in corde tuo. Memento quia angelus invenit Mariam in camera sua orantem: non foris cum hominibus loquentem. Nam qui appetit caelestia secreta cognoscere: oportet eum ab hominibus elongari. Sic enim Moyses fecit; qui relictis hominum turbis, mansit solus cum Domino in monte: ut legem Domini susciperc mereretur. Haec quandoque perlege: ut dulcescat tibi inhabitatio cellae.

De choro et divino officio peragendo.

CAPITVLVM VIII.

Chorus est Dei et sanctorum angelorum locus sacratus; ubi divinum agitur officium, praesentibus ecclesiae ministris: cum reverentia et devotione psallentibus. Sicut angeli in caelo: sic religiosi ordinati sunt in choro. Opus angelorum est Deum semper laudare: opus religiosorum est intenta mente psallere et orare. Sic sta in choro et canta: quasi in medio angelorum stares. Recordare dilecti Domini tui Iesu in praesepio iacentis; aut in cruce pendentis, aut in caelo ad dextram Patris sedentis: tamquam coram eo assisteres et cantares. Ipse sit in corde tuo et in labiis tuis, ad pronuntiandum aperte et distincte verba Spiritus sancti: cuius ope et arte divinum officium ordinatum est. Statue Iesum ad dexteram tuam et Mariam ad sinistram: et omnes sanctos in circuitu eorum. Omnes fratres tui sint tibi tamquam angeli Dei. Et cum quibus nunc psallis in terris: spera etiam te cantaturum in caelis. Vita pura et conscientia libera: gaudet in divinis. Vagus et tepidus homo: cum taedio psallit et somno. Si viceris acediam et cor ab evagatione

restrinxeris; viam devotioni paras: et semper in fine gaudebis. Multae curae suffocant verbum Dei: et longae locutiones faciunt distractionem mentis. Quicquid homo ante exercet: hoc sibi frequenter postmodum in oratione occurrit. Inimicus ibi non venit: nisi ut zizania superseminet. Devotus choralis soli Deo et sibi intendit: tamquam in caelesti choro translatus et elevatus esset. Finitis his quae in divino officio celebrantur, non statim te effundas ad exteriora; ne perdas gratiam quam consecutus es orando: sed potius post vota labiorum tuorum te recollige; et in maiori gratiarum actione ab omni strepitu solus permane, ruminando quae audisti cantare. Quid prodest una hora Deum laudare; et altera saecularia et inania pertractare? Noli pretiosum fructum orationum tuarum, et laborem divini operis: pro vilibus exponere iocis et nugis. Nam cito perit devotio: quae non custoditur sub silentii freno. Quando autem taedium sentis ex longiori officio: pensa quia isto finito evolabis ad caelum. Et si hoc te non iuvat, memento quia levius est tribus vel quatuor horis vigilare, et cantare: quam una hora in purgatorio ardere. Magni quidem meriti est sacris canonicis horis interesse: et laudes Dei alacriter cum multis fratribus

persolvere in ecclesia sancta. Et si non possumus sine intermissione orare aut cum perfectis contemplari; debemus tamen certis horis ad hoc deputatis omnem diligentiam adhibere: ut intente et devote psallamus. Neque enim in tam sancto opere tibi ipsi solum proficis aeternam a Domino mercedem promerendo; sed etiam cunctis Christi fidelibus et praecipue animabus defunctis prodesse potes, gratiam et veniam in cotidianis horis et missis implorando; et tanto plenius: quanto saepius et ferventius pro omnibus oraveris. Nam et pro quolibet verbo attente prolato: iusto praemio non privaberis. Quicquid etiam neglegenter persolvis, inde districte punieris. Non enim est leve peccatum in praesentia Dei et sanctorum vago corde stare: et ad sacra verba parum attendere. Heu quantae irreverentiae est ibi inania dicta vel facta revolvere: ubi omnibus praetermissis negotiis, solum divinis congruit intendere actionibus et secretis. In hoc cognoscitur verus et internus religiosus: si in Dei laudibus fuerit ferventer intentus; si nil cogitare libet aut agere quam ea quae Deo maxime placent: et cum angelicis spiritibus communionem habent. Et hoc est semper orare, Deum scilicet ex toto corde laudare benedicere et glorificare quemadmodum

David in psalmo dicit. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Qui ergo a Dei laudibus torpescit aut tacet aut se absentat: non est amicus Dei nec civis caeli; quia angeli semper in laudibus Dei sunt: et voce consona sanctus, sanctus, sanctus in laudem summae Trinitatis cantant. Qui etiam aves caeli recte nominantur: quia alarum suarum sonitu ad cantandum nos hortantur. Inter omnes operationes animae fidelis non est tam fructuosus labor, et tam acceptabilis Deo servitus: sicut frequenter devote orare et Deum toto cordis affectu laudare. Vae igitur illis qui divino amore non calent; sed ad extraneas fabulas se convertunt: qui nec orant, nec alios orare permittunt; et ubi peccata sua emendare deberent: ibi veteribus malis nova superaddunt. Tales sunt qui ecclesiam tarde intrant, et citius exeunt; qui breves missas diligunt, et longas epulationes exercent: qui saturati lusibus delectantur et iocis; et pro beneficiis Dei breves gratias vix debite solvunt: eo quod plus corpus quam animam pascere gaudent. Non sic faciet bonus religiosus Dei servitio mancipatus; sed memor omnium beneficiorum Dei quae a saeculo sunt: cum Iesu studeat pernoctare in orationibus hymnos et psalmos

canendo; sacras hostias offerendo et devotis meditationibus insistendo: et cor suum ad Deum semper erigendo.

De discretione in omni spirituali exercitio servanda

CAPITVLVM IX.

SErvus Dei cum discretionis moderamine omnia agere debet. Stude ergo viam regiam tenere; ut neque nimis laxus ad carnem: nec nimis rigidus per fervorem, corruas ante finem. Si vis stabilem bene vivendi ordinem servare: inter duo extrema per medium iter incede; ut nihil per arrogantiam ultra vires attemptes: et quae commode agere praevales per inertiam non omittas. Non requirit Deus a te corporis destructionem: sed vitiorum refrenationem. Non exigit aliqua impossibilia: sed saluti tuae utilia. Dat sana consilia: providet vitae necessaria; ut bene utaris corporis servitio ad animae profectum: et in nullo excedas discretionis modum. Nam hodie currere et cras lassus iacere; non est in via Dei proficere: sed se ipsum confundere, et profectum impedire. Nunc nihil velle habere et cras superflua sumere; non est paupertatem diligere: sed cupiditatem fovere. Nunc necessaria recusare, et cras

singularia quaerere; non est abstinentiam facere: sed gulam excitare. Nunc apposita nolle comedere, et cras de defectu ciborum murmurare; non est abstinentis animae signum: sed impatientiae monstrum. Nunc tam multum legere vel scribere, ut dolor capitis sequatur; non est animam pascere: sed impotentem ad alia bona opera reddere. Hodie nihil loqui, et cras dissolutum fieri aut silentium frangere; non est zelum ordinis habere: sed multos in ordine scandalizare. Hodie tam alte cantare ut cras nequeas resonare aut vix os ad cantandum aperire; non est Deum laudare: sed alios in choro turbare. Quidquid modum excedit et discretionem non tenet: nec Deo placet, nec diu durare solet. Necessarium est ergo in omni spirituali actione ad perficiendum opus debite inceptum, ut communem serves institutionem, et singularitatis caveas notam; atque in dubiis et obscuris causis superioris sequaris consilium: et cum discretionis moderamine, oboedientiam custodias sine fictione. Semper in summo devotionis gradu posse consistere, non est fragilitatis humanae; et nimis ad exteriora declinare et terrenis involvi non est profectus hominis spiritualis: sed perditio totius religiositatis. Quod si speciali gratia fueris a Deo visitatus et inebriatus;

hominem te noveris esse non angelum, carnis sarcinam adhuc gerere non animae stolam: datam gratiam recole non innatam. Cave igitur ne velis sapere plus quam oportet sapere: sed gaudium tempera timore; nec velis altiora praesumere: ne postea humiliatus desperatione frangaris. Cum exterius laboraveris et necessaria negotia tractaveris; non totus in visibilibus defluas: sed frequenti meditatione te sursum ad Deum erigas. Pensa ad quid exteriora ista fiunt et exercentur; quia servum Dei iuvare debent non impedire: quatenus terrenis bene moderatis ad aeterna et invisibilia facilius tendatur. Vt autem virtutem discretionis in operando et donum sapientiae possideas in vacando; melius hoc impetrabis devote orando, et humiliter a Deo petendo: quam propriae industriae vel labori confidendo.

Oratio de felici consummatione in virtutibus.

CAPITVLVM X.

Ro te Domine Pater sanctissime, qui omnia in numero et pondere et mensura fecisti; qui famulatum tibi debitum ab omni creatura rationali vis exhiberi: et praecipue in servis tuis spontaneum servitium diligis et exquiris; dirige actus

meos spontaneos in beneplacito tuo, et ad imperium aeternae dispositionis tuae rebelles motus carnis meae reflecte: propriasque voluntates ex integro frangere mihi concede. Sic ordina cunctas affectiones meas ut malas statim ab initio respuam; bonas fortiter teneam, puras diligam: teque sine corporea imaginatione contemplari discam. Sic tempera vires meas et operationes exterius, ut non totus inhaeream infimis; sed semper potens sim me convertere ad interna: et sine gravi tardatione ascendam ad caelestia. Sic me conserva in aeternorum desiderio, in amore sanctarum virtutum, in fruitione caelestium: ut tu Domine Deus ampliorem inde habeas honorem: et ego salubriorem profectum suscipiam. Non mihi veniat ex tua visitatione pes superbiae: nec me vexet pestis vanae gloriae. Non me sinas satanae decipi illusione, neque falsa rapi dulcedine: nec privata devotione extra communitatem recedere, neque immoderata frangi exercitatione; sed da mihi cuncta cum discretione agere, sine sollerti consilio nil praetendere: cum timore et reverentia maiestatis tuae in conspectu tuo munde ac libere sine omni passione et corruptibilium rerum affectione incedere. Da humilem et quietum spiritum

possidere; effusum et immoderatum numquam esse: nulli quoque creaturae vitioso affectu inhaerere, sed tibi soli cor meum mundum et tranquillum conservare; ut semper ad caelum mente erectus, et tibi Deo meo secrete intentus, a nulla re visibili capiar: sed verus mundi contemptor permaneam. Sic exteriora pro loco et tempore da congruenter perficere: ut nullum interioribus meis sint detrimentum; sed omnis labor et actio pro te assumpta: ad liberius postmodum vacandum iuvamen mihi praestent et ducatum. Omne etiam quod ago exterius, aut quicquid interius intellegere possum: da mihi simpliciter et pure, pro maiore nominis tui honore et beneplacentioris voluntatis tuae amore perficere: meque ipsum tibi in omni re desiderabili aut naturae contraria prompte resignare; patienter quoque praesentis vitae sarcinam quoadusque iusseris et meae vocationis terminus venerit perferre: corpus quoque et animam tibi creatori meo fideliter commendare. Memento mei Deus in hora extremae necessitatis; et fac misericorditer cum servo tuo: qui non in meritis meis, sed in tua miseratione et pietate confido.

De caritate Dei et proximi et odio vitiorum.

CAPITVLVM XI.

DEus est beatitudo animae; nec ullo bono creato fit anima beata, nec veraciter sapiens: nisi Deum super omnia amando, et omnia infra Deum ex corde vilipendendo. Vnde Paulus dicit. Omnia arbitratus sum ut stercora: ut Christum lucrifaciam. Caritas nobilis est virtus et ex Deo nata: quae animam quam replet, caelestem facit, et mundo alienam. Caritas odit vitia, damnat delicias; persequitur malum, et vim facit naturae: ut vincat quicquid Deo et virtutibus est contrarium. Sicut aqua et ignis contrariantur: sic caritas Dei et amor mundi non sociantur. Quanto magis se ipsum quis vincit et defectus suos emendat: tanto plus amor Dei in eo crescit: et carnis affectus marcescit et decrescit. Qui male se habet et de hoc non dolet, sed incorrigibilis manet: laedit caritatem et dissipat bonum pacis. Non est aptus ad concordiam, nisi qui relinquit suos perversos mores: quibus offendere potest Deum et secum habitantes. Si vis habere caritatem Dei, et servare pacem inter fratres; frange propriam voluntatem, et

nihil age per elationem: sed in omnibus humilia temet ipsum. Via ad caritatem: est descendere per humilitatem. Nam qui elate de se sentit: longe a caritate recedit.

Saepe putatur esse caritas: et est magis carnalitas. Libenter bibere vinum et loqui cum feminis: caro est. Laute comedere et ornate vestiri: caro est. Diu fabulari et parum operari: caro est. Raro orare et frequenter foris vagari: caro est. Ad mensam festinare et ad ecclesiam tardare: caro est. Ille veram probatur habere caritatem; qui funditus odit mundi vanitatem: et carnalem fugit familiaritatem. Sancta quippe caritas non quaerit in hominibus solacium terrenum: sed spiritualem profectum. Nam animam potius pensat ad Dei imaginem factam: carnem vero ad malum proclivam refugit ut sibi nocivam. Caritas non debet dici ubi zelus non est iustitiae: nec fervor disciplinae. Quisquis Deum et proximum veraciter amat: iniuriam Dei et animarum damnum dissimulare non debet. Pax cum virtutibus bona est: cum vitiis vero numquam, sed semper mala. Ibi est bonus status et pax in domo: ubi defectus emendantur et vitia cito resecantur.

De abstinentia et castitate.

CAPITVLVM XII.

SObrius victus et potus: sanitas est animae et corporis. Inopia rerum: paupertatem docet amare. Rara virtus: continentia in deliciis. Abundantia temporalium occasio est iurgiorum: et mater vitiorum. Tutior est castitas in paupertate: quam in divitiis multis. Corporalis egestas: medicina est animae fidelis. Dolor cordis prohibet risum: et timor Dei oculos claudit petulantes. Sicut nocet visus impudicus: ita impedit auditus de inhonestis. Cavendum est animae sanctae de corporis propinquatione: quia caro cito afficit carnem. Diligere pulchra et appetere mollia: non est pro virtute castitatis. Qui autem abiecta et amara amplectitur propter castitatem: potest facilius vincere carnem. Quanto enim caro plus premitur: tanto spiritus plus elevatur. Qui se elongat ab omni tactu corporis: percipiet in anima suavitatem castitatis. Qui diligit solitudinem: purior erit a sorde mundanorum. Qui reputat corpus suum carcerem esse animae; non curabit illud ornare nec ostentare: quia cito convertetur in lutum et foetorem. Exteriora hominis considerare, et in pulchritudine vel forti-

tudine gloriari: vanissimum est et vitiosum. In multa abstinentia et castigatione corporis conversati sunt sancti: et pro afflictione praesenti receperunt consolationem Spiritus sancti. Non est dignus a Deo consolari: qui in transitoriis bonis delectatur, et de penuria contristatur. Qui patienter sustinet laborem et dolorem in servitio Christi: recipiet plenam mercedem etiam pro minimo passo. Castitas multos habet impugnatores; sed qui veraciter se humiliant, et Deum adiutorem sollicite quaerunt, ac sensus suos caute custodiunt: victoriam Christo duce obtinebunt.

De utili exercitio in vita et passione Christi.

CAPITVLVM XIII.

Optimum exercitium et suavissimum solacium quod in hac vita potest haberi est vita et passio Domini nostri Iesu Christi; quia tam in vita activa quam contemplativa perfectissime hominem docet, sine errore et multis argumentis: quod in aliis scientiis raro invenitur. Igitur firmissima et tutissima via ad perfectionem et mentis illuminationem atque aeternae vitae introductio-

nem: est conformari filio Dei in omnibus virtutibus et moribus suis. Disce ergo ad eius amorem et honorem cuncta exercitia tua trahere et ordinare: et tamquam praesentem Iesum in omni loco et tempore attendere: et cum multa reverentia et singulari devotione ad auditionem et prolationem dulcissimi nominis eius caput humiliter inclina: genua flecte; et cum omnibus angelis et archangelis et universo coetu sanctorum maiestatem eius atque divinitatem adora, benedic et collauda. Et hoc est Christum per fidem et dilectionem habitare in corde tuo, oculos mentis ab eius imaginatione numquam avertere: ad eius beneplacitum semper tendere, et nihil eius amori praeponere; sed quicquid boni audieris vel legeris aut feceris in ipsum totaliter reducere et finaliter referre: quia ipse fons vitae et sapientiae et disciplinae; apud quem non perit nec minima cogitatio de eius memoria habita: nec vacua erit oratio ad eum cum gemitu fusa. Conforma ergo te sanctissimae vitae Iesu: eius paupertatem humilitatem patientiam et contemptum in hoc mundo pro tuo modulo imitando. Pensa qualiter ab initio sanctae nativitatis suae usque ad exitum mortis in cruce pro te laboravit; pro te sustinuit, et se totum tibi

impendit: quod nullus angelorum nec aliquis sanctorum fecit; ut merito super omnia diligendus sit et sine intermissione recolendus: ac summo cum honore venerandus. Istud beato Paulo sapuit super omnem sapientiam et doctrinam: cogitare scilicet Iesum Christum et hunc crucifixum. Et si alia multa noverat vel legerat; nil tamen ea aestimavit, ob eminentiam passionis et caritatis Christi: quae tanta est ut nulla creatura possit digne Deo pro minimo puncto regratiari. Ideoque omnibus postpositis rebus mundi et subactis carnis passionibus: dicebat idem Deo iam plenus. Mihi vivere Christus est et mori lucrum. O dulce et salutare verbum, numquam oblivioni tradendum. Quam felix et sancta anima quae hoc dicere potest: cui Christus totum est quicquid vivit, quicquid sapit, quicquid legit quicquid intellegit; quicquid credit, quicquid sperat, quicquid amat: quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid boni operatur. Vere vivit et beate vivit: cui Christus est omnia in omnibus et super omnia singulariter dilectus; qui magis in Christo quam in se ipso manet: nihil de se ipso tenens, sed in Christo dulciter ac fruitive quiescens. Sic vivere est Christo vivere: et hoc est sibi ipsi mori et a se ipso de-

ficere et a maxime lucrari; quia hoc est mortem perdere et vitam aeternam invenire: in Christo Iesu Domino nostro. Talis anima licet adhuc sit in mundo et carnis nube tecta et diversis molestiis pressa; tamen sursum mente habitat in caelo: ubi Christus est in dextera Patris sedens. Ad quem cotidie suspirat, desideranterque tendit: et donec optineat, laborare et orare non desistit.

De commemoratione et invocatione beatissimae virginis Mariae.

CAPITVLVM XIIII.

Gloriosae virginis Mariae benedictae matris Iesu memoriam agere per omnia decet; cuius meritis et precibus cotidie te recommendare debes, et ad ipsam in cunctis necessitatibus confugere: sicut filius plagis percussus ad matrem suam dilectam. Nam dulce nomen Mariae: fiduciam donat eam invocanti et nominanti. Et ipsa consequenter parata est loqui verbum bonum ad filium suum Iesum: pro anima tribulata et miseriam patiente. Nisi enim Maria cotidie cum sanctis in caelo pro mundo oraret; quomodo mundus adhuc stare posset qui tam multis peccatis Deum offendit et

tam parum se emendat? Invocanda est ergo Maria ab omnibus Christi fidelibus: a iustis et a peccatoribus et praecipue a religiosis et devotis personis; qui continentiae propositum tenent, et per sancta desideria ad caelestia anhelant: et nihil cum mundo habere agere volunt. Sed quid petendum est? Primum pete indulgentiam peccatorum tuorum; deinde continentiae virtutem atque humilitatis donum Deo gratissimum: ut semper humilis in conspectu Dei inveniaris vilisque et abiectus desideres reputari; nec de aliquo bono velis gloriari: ne perdas totum quod videris habere. Dole quod tam longe es adhuc a veris virtutibus; a profunda humilitate, a sancta paupertate, a perfecta oboedientia, a purissima castitate, a devotissima oratione, a ferventissima caritate: quae omnia plenissime fuerunt in Maria matre Iesu. Ideo procide ad pedes eius sicut pauper et mendicus; ut saltem minimum gradum de his virtutibus optineas qui ad summum ascendere non vales propter desidiam tuam. Quicquid habere desideras per manus beatae Mariae humiliter roga: quia per eius gloriosa merita, iuvantur qui in purgatorio sunt et in terra. Magna gratia magna gloria eius in salutari suo Iesu, super omnes sanctos in caelo: sed

totum pro omnibus nobis qui degimus in mundo. Secure ergo fidelitati eius te committe cuius orationes Deo sunt acceptae; nil aliud tamen petens nec quaerens, nisi quod sibi et dilecto filio suo placet et saluti tuae expedit: prout ipsi melius noscunt. Pro peccatis orare et cor in humilitate custodire: multum placet Deo et beatae virgini. Nam ipsa de sola humilitate gloriata est ante Deum, et de ceteris tacuit; et quantamcumque gratiam habuit: ab humilitate non recessit. Oret ergo voce pia pro nobis virgo Maria: ut digni simus gratia Dei.

De suffragiis sanctorum sedule petendis.

CAPITVLVM XV.

SAnctorum cum Christo regnantium suffragia instanter petere non negligas; quia sicut cernis in valle lacrimarum degis, et inter hostes cotidie versaris: et adhuc longe a Deo peregrinaris. Stude ergo cum sanctis et amicis Dei tempore incolatus tui amicitiam facere; et ad eos specialem familiaritatem habere: et hominum notitiam et allocutiones inutiles declinare. Melior est tibi unius sancti oratio: quam omnium saecularium

amicorum visitatio. Plus te consolabitur Christus in silentio: quam longa hominum loquacitas in convivio et risu multo. Habet iustus internum gaudium: quod non percipit animalis homo inhians terrenis. Si paupertatem et simplicitatem diligis: aderit tibi frequenter Iesus cum angelis sanctis. Et si non manifeste: tamen invisibiliter et occulte consolabitur te in scripturis. Beatus qui recreationes suas quaerit non ab hominibus: sed in lectionibus sacris et precibus devotis ad bene vivendum et ad caelestia amanda: sicut fecerunt sancti visibilia contemnentes. Qualis unusquisque est, tales etiam socios diligit; devotus devotum, pudicus pudicum, sanctus sanctum: vagus vagum, dissolutus quaerit dissolutum. Si ergo desideras cum sanctis regnare in caelo: oportet te multa pati pro Deo et cum sanctis humiliari in mundo; quia parum prodest sanctos labiis honorare: et moribus contraire. Si vis Deo et sanctis placere: doma carnem, frange propriam voluntatem: certa contra vitia, labora pro virtutibus, inspice vitam sanctorum, lege doctrinam eorum; ut cum sanctis sanctus fias a sanctis erudiaris, per sanctos adiuveris a sanctis exaudiaris: cum sanctis coroneris. Placet eis frequens gemitus in caelum: dolor pro peccatis silentium

oris; firmum propositum emendandi, desiderium proficiendi, patientia in adversis: gratiarum actio pro beneficiis collatis. Delectat etiam sanctos cantus devotus, alacritas in vigiliis, laus psalmodiae; confessio peccatorum, postulatio veniae, celebratio missarum, orationum lacrimae: et omnis observantia regularis disciplinae. Qui ab istis bonis tepescit et recedit, perdit devotionis gratiam; nec est Deo acceptus neque angelis carus: sed Deo et sanctis omnibus contrarius. Nam qui ex Deo est, verba Dei audit, verba Dei libenter legit et scribit; libenter vigilat et orat: libenter abstinet et laborat, libenter tacet et Deo vacat; libenter est in cella et in ecclesia, nunc istum nunc illum sanctum invocando: et flexis genibus gratiam postulando pro passionibus vincendis, pro temptationibus resistendis quibus adhuc graviter impugnatur; ut eorum precibus gloriosis devotus permaneat et post huius vitae agonem ad aeternae quietis mansionem pertingat: ubi omnes sancti cum Christo feliciter regnant. Non enim erit frustra petitio coram sanctis: quae pia intentione eis offertur ad honorem. Nam qui tam sedule oravere pro inimicis suis, dum premerentur ab adversariis; quanto libentius nunc orabunt pro suis suppli-

cibus, ut sibi citius valeant associari in caelestibus gaudiis: quos norunt in Dei servitio cotidie laborare et pro aeterna vita multis suspiriis et lacrimis Christum exorare. Dat magnam fiduciam rogandi sanctos: quia et ipsi fuerunt homines mortales et peccatores multis criminibus et variis passionibus dudum involuti et gravati; sed per gratiam Dei liberati et iustificati, maximas nunc gratias Christo referunt pro omnibus malis quae evaserunt: laeti in aeterna beatitudine, quam gratia divina opitulante percipere meruerunt.

De desiderio animae ad caeleste regnum.

CAPITVLVM XVI.

Vnicum et singulare desiderium sanctorum in hac vita fuit, nihil commune habere cum hoc saeculo: sed per contemptum terrenorum tendere semper ad praesentiam Christi et consortium angelorum. Vnde et beatus Paulus vehemens amator Christi omnia terrena perfecte despiciebat: et ad caelestia exaestuans, dicebat. Cupio dissolvi: et esse cum Christo. Non est omnium tale desiderium: sed perfectorum qui dicere

possunt, nostra conversatio in caelis est. Nam valde pauci ita nudati inveniuntur, qui totum affectum suum ad aeterna erigunt: et de terrenis divitiis et honoribus nihil ambiunt. Qui autem amore Christi accensi in paupertate et contemptu sui gaudent; atque cor in humilitate deprimunt, et de parvis neglegentiis etiam stricte se ipsos reprehendunt: qui necessaria vitae sobrie et cum timore capiunt, et potius minus quam amplius requirunt; hi sunt veri contemptores mundi, et amici Dei ad patriam festinantes, parati de corpore exire, et ad Christum citius pervenire: non habentes quod possit eos in saeculo delectabiliter retinere. Felix anima cui tale desiderium inest, et per singulos dies fervorem addit fervori; non desistens orare et clamitare ad Christum donec aperiatur sibi porta caeli: et ingrediatur regnum Dei cunctis fidelibus promissum. O beata patria, ubi perpetua laetitia, pax summa, clara Dei notitia: caritas perfecta et beatitudo consummata. Ibi melior est dies una quam hic mille milia; quia ibi penuria nulla: hic miseria multa, pax rara, cognitio parva. Quid miseri loqui possunt de felicitate superna, quid mortales capere sciunt de aeternitate vera et vita sempiterna; nisi

sub quadam caligine et scripturarum velamine tecta? Gemat ergo anima fidelis mundi circumfusa tenebris ad gaudia lucis aeternae, ad societatem patriae caelestis; indesinenter oculum mentis sursum elevans: ubi Christus est in gloria Patris, per aeterna saecula regnans. Amen.

EXPLICIT LIBELLVS DE DISCIPLINA CLAVSTRALIVM.

EPISTVLA DEVOTA AD QVENDAM REGVLAREM.

Ista sunt praecipue necessaria et utilia pro conservatione devotionis et pace cordis, pro profectu virtutum et aedificatione aliorum; scilicet solitudo silentium, opus manuum, oratio lectio, meditatio scripturarum: paupertas, sobrietas, oblivio patriae, fuga saeculi, quies claustri: visitatio chori et custodia cellae. Cum his observationibus, fit homo compunctus internus et devotus. Nimia occupatio in externis, magnum impedimentum est interiorum: et infrigidat a caelestibus. Duo sunt quae valde nocent religiosis quod tam parum illuminantur; quia sunt nimis multiplices in exercitiis corporalibus non considerantes ad quid omnia ordinata sunt: et quia non examinant sollicite interiora sua quibus affectionibus moventur ad virtutes vel ad vitia, et quantum distant ab unione cum Deo habenda. Nam tanto quis Deo unitur et plus illuminatur: quanto a mundi curis magis elongatur. Multa

non sunt homini necessaria scire nec habere: sed curiositas et avaritia trahunt ad multa animae nociva. Placeat tibi propter Christum simplex vestitus et sobria mensa: nec quaeras pretiosa ornamenta. Christus amat cor purum, non cappam pulchram: neque casulam sericam mira varietate contextam. Non optes ut monasterium tuum abundet divitiis et altis aedificiis: sed ut floreant omnes fratres bonis moribus et virtutibus sanctis. Et si alicubi pulchra et sumptuosa videas, excusare potes et tolerare pro honore Dei et reverentia loci: sed non debes similia affectare.

Quando relinquis amicos propter Christum et non quaeris consolationes hominum, sed permanes in cella faciendo opus tuum: tunc aderit tibi gratia caelestis illuminando cor tuum; et gaudebunt super te angeli sancti, et custodient te ab impugnationibus inimici ne dominentur tibi: sed viriliter ages et precibus eis resistes.

Quae ad saecularem scientiam et reputationem humunam trahunt omnino caveas: sed semper humilia sectare sicut fecerunt Iesus et beata virgo Maria. Attende quoque vitam doctrinam et patientiam sanctorum: qui habuerunt veram sapientiam per quam soli Deo placere studuerunt. Pius Dominus non derelinquit

electos suos in mundo afflictos; sed tollit quandoque eos tempestive de laqueis superventuris ne deteriora mala incurrant: quae forte tolerare nequirent.

Debes sollicite cogitare de defectibus tuis et saepe ingemiscere: ne vincaris, vel seducaris. Ora primo pro propriis miseriis: deinde pro aliis amicis vivis vel defunctis sicut fraterna caritas exigit. Plus tamen confidere debes de Dei gratia et misericordia et sanctorum meritis: quam de tuis precibus et actibus bonis. Habeas firmum propositum te emendandi; et si centum annis posses adhuc vivere, cogita quod propter nihil aliud velis vivere: nisi ut Deo possis perfectius servire.

Contra tria vitia oportet cotidie certare, quae raro plene vincuntur: scilicet contra superbiam, contra gulam et acediam. Superbia latet in corde et multipliciter extollit stultum in propria aestimatione sua; apparet saepe in vestitu, aperitur in voce: notatur in incessu et levitate morum. Gula grave est vitium: quae si refrenata non fuerit, facit hominem dissolutum, pigrum et ad spiritualia ineptum: inducit somnolentiam et excitat libidinem. Acedia multum retrahit a spirituali exercitio ab intenta oratione, et sacrae lectionis studio; quaerit carnis mollitiem, fugit laborem, odit cellam, diligit

fabulari: delectatur vanis rumoribus, attaediatur interesse divinis. Qui non certat viriliter adversus ista tria vitia parum proficiet in bona vita: et cito cadet ad alia peiora mala ex istis nascentia.

Dilectio Dei probatur magis in contemptu sui et omnium terrenorum: quam in pulchritudine verborum. Plus Deus delectatur in humili prece contriti cordis: quam in alto clamore curiosae vocis. Semper humilis invenit gratiam; et qui se dat ad simplicem oboedientiam: optimam habebit conscientiam et quietissimam vitam.

Saepe est occultae superbiae signum desiderare habere magnam devotionem vel revelationem: potius te iudica divina consolatione indignum. Nam de defectibus tuis atque excessibus cogitare magis placet Deo et utilius est tibi: quam indagare de caelestibus secretis. Quamdiu non es verus humilis et totus ab intra mortificatus, ita quod laudibus non delectaris nec maledictis moveris: non expedit tibi altiora perscrutari. Christus saepe compescuit apostolos de multis futuris, et subtilibus materiis loqui. Cur ergo tu vis scire quae excedunt scientiam tuam? Munda conscientiam tuam et cave praesumptionem: et stude divinam discere et facere voluntatem non propriam. Sic

enim orat sanctus David magnus cognitor caelestium secretorum. Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam. Quicquid ergo humiliorem te non facit et ad maius beneplacitum Dei non tendit, noli cupere nec curare: quia Deo obligaris mundam servare conscientiam, et saeculi abicere vanitatem.

Verba Domini nostri Iesu Christi cum magna diligentia attende; et Davidicos psalmos saepe rumina: quia in illis est vera sapientia et salus tua. Passionem Christi et vulnera Iesu in corde tuo quasi in libro scribe: et totam spem tuam in meritis Christi et sanctorum precibus pone. Quid enim nos fragiles agere possumus: nisi quod multum humiliemus nos sub potenti manu Dei, et coram ipso prostrati veniam petamus?

Resistendo vitiis et insistendo bonis exercitiis concupiscentiae et passiones paulatim minuuntur in nobis: et virtutes amplius roborantur, ita ut homo delectetur in eis frequenter; et maxime si honorem Dei et non suum commodum vel pacem propriam quaerat: quia aliter non esset purum nec vere virtuosum. Nam qui ad Deum omnia opera sua pure non refert: superbus est et vanus. Quicquid boni homo facit, cogitare debet quia donum Dei est, et non se reputet inde. Nam

tenetur Deo regratiari et magis se humiliare: ne imputetur sibi ad peccatum et gravius de ingratitudine iudicetur. Omne opus bonum in Deo factum gratiam maiorem meretur: laetificat mentem, et delectat operantem: quia Deum habet adiuvantem. Qui desiderat a Deo consolari taceat de mundanis, oret saepius et raro sit foris. Omne enim peccatum generat tristitiam, corrumpit naturam et meretur poenam. Attende donum Dei in alio et dilige illud sicut vere est donum Dei. Erit autem tuum si diligis illud tamquam tuum, semper tamen totum ad Deum humiliter referendo, ne perdas bonum male utendo. Tunc male uteris bono, si inde extolleris et vane gloriaris. Tunc bene uteris malo, si inde humiliaris et contristaris et per paenitentiam emendas, nec te superbe excusas. Status huius vitae debilis est et plenus periculis, ideo ad Deum semper currendum est et orandum ut nos custodiat et adiuvet in omni luctamine et opere bono usque in finem.

LIBELLVS SPIRITVALIS EXERCITII

INCIPIVNT CAPITVLA LIBELLI SEQVENTIS.

De fervida exhortatione ad virtutes I
De firmo proposito servando per diem II
De elevatione et directione cordis ad Deum . . . III
De custodia cellae et sensuum exteriorum IIII
De hora surgendi et officio divino V
De refectorio et cibis sumendis VI
De fabulis et otio vitandis VII
De beneplacito Dei et confidentia in adversis habenda VIII
De examinatione conscientiae completorio finito . . IX
De scrutinio conscientiae in speciali X
De hora dormitionis et nocturnae quietis XI
De virtute sanctae oboedientiae XII

INCIPIT LIBELLVS SPIRITVALIS EXERCITII.

DE FERVIDA EXHORTATIONE AD VIRTVTES.

CAPITVLVM I.

Renovamini autem spiritu mentis vestrae: ait beatus Paulus apostolus. Solent boni religiosi habere devota exercitia: quibus ad spiritualem profectum et virtutis amorem cotidie excitentur. Tales secretum petunt: et tumultus fugiunt populares. Vitam suam sollicite discutiunt; et si in aliquo offenderint: mox illud digna contritione purgare nituntur. Vigilant circa cogitationes suas; et quibus affectionibus moventur animadvertunt: atque contra evagationem cordis frequenti oratione ac sacrae lectionis meditatione se muniunt et dicunt. Viam iniquitatis amove a me: et de lege tua miserere mei. Necesse est enim cor in diversa rapi, et vitiis

repente sordidari: quod internis ac devotis exercitiis non insistit. Omnium exercitiorum primum et utile magis ad purgationem mentis est, passiones vitiorum agnoscere: et remedia eorum a Deo cum gemitu et lacrimis postulare. Nam pauperes aegroti et vulneribus corporis afflicti: luctuosis precibus opem curationis a transeuntibus sedule petunt. Misericors autem et pius Dominus non despiciet orationem contriti spiritus: pro aeterna salute gementis. Habeas igitur exercitia tuae conversationi congrua: quae te instruant, renovent, et accendant. Non debent haec privata excludere communia; sed ad ea te promptiorem magis reddere: ut in nullo detrimentum internae pacis incurras. Quod si ab inceptis tuis occasione aliqua impediris: quantocius vales, stude ad te ipsum habere recursum. Frequenter etiam tuum inspice libellum: ut clarius tibi innotescat internus profectus tuus sive defectus. Secundum datam tibi gratiam: praeforma tuae institutionis normam. Nemo melius instruitur ad omne bonum, quam Spiritu sancto intus agente: cuius unctionem mitis et humilis facilius promeretur.

Sapientis est ordinare vitam suam: et debitum actibus suis imponere finem. Oportet etiam convenientia media in-

quirere: quibus ad principale perveniatur intentum. Plus proficit una determinata actio sapientis: quam magna occupatio stulti. Qui importune et inconsiderate agit facile offendit: et dolebit ipse offensus. Qui autem matura utitur providentia: de salubri semper fine gaudebit. Esto memor propriae fragilitatis, etiam dum bene tibi successerit: et altum de te sapere noli. Est qui elatos humiliat, Deus malleus superborum.

DE FIRMO PROPOSITO SERVANDO PER DIEM.

CAPITVLVM II.

OMni mane proponendum est: qualiter praesens dies utilius expendatur. Contra vitia quae magis infestant: diligentiorem adhibe curam. Cotidiana exercitatio, gratiae meretur augmentum: et perseverantia boni, ad virtutis culmen ducit agentem. Forte ultima dies ista; forte novissima hora: forte cras te non inveniet. Custodi propositum, tempus neglegere noli: non redit hora transacta. Certa bonum certamen; ora pro gratia: et dabitur tibi de caelo victoria sancta. Stude minora vincere: ne ad deteriora labaris ignavia praevalente.

Semper lex Dei in corde tuo versetur: gratiarum actio et vox laudis ab ore tuo

non tepescat. Omne tempus cum Deo non expensum: plange velut amissum. Cave otiosos texere sermones: et inutiles circuitus devita per aedes. Stet in ostio cellae pro signo notabile breve; quod te praemoneat exeuntem: et redarguat diu tardantem. Periculum tuum inter homines multos.

Orto iam die benedic Creatorem caeli et terrae; qui tibi adhuc spatium bene vivendi concessit: et solem suum pro variis usibus super te fecit oriri. Christus vivere tibi sit: et cuncta opera tua ad Christi dirige laudem. Ipse spes tua tota et praemium aeternale quod expectas: gratiam autem humanam non quaeras nec affectes. Si non vis decipi: noli laudibus stultis delectari. Novit Deus cor tuum: quam impurum sit et vanum. Ne credas adulanti; sed potius increpantem ausculta: qui bene consulit dum tua corripit errata. Habeas semper ad manum orationis usum: contra omnia adversantia invincibile scutum.

DE ELEVATIONE ET DIRECTIONE CORDIS AD DEVM.

CAPITVLVM III.

ANte opus externum: prius eleva cor ad Deum. Quitquid boni feceris aut dixeris, non magni pendas: sed in-

utilem te servum veraciter reputabis. Offendit enim oculos divinae maiestatis: etiam levis elatio cordis. Vtinam unam saltem diem vel mediam fere horam: cum Deo integre expendas. Heu nimis instabilis es et impurgatus: etiam ubi devotior esse deberes.

Opere finito aut horis persolutis gratias age de bene peractis: et de neglegentiis intercursis veniam flebiliter pete. Magna ablutio est delictorum: humilis veniae deprecatio coram Deo et angelis sanctis.

Ad singulas horas angelicam salutationem lege: aut quod facile te recolligat cum Deo et citius inflammet. Qui non colligit mecum inquit Iesus: dispergit. Et qui non est mecum intus collectus: contra me est vagando in externis. Hic enim pronior est ad malum, infirmiorque ad resistendum: quia intima sua reliquit et Deum. Nomen Iesu et Mariae crebro in ore, semper in corde: pro solacio primo. In extremis senties: quantum profuit amor Iesu internus. Sanctorum quoque nomina: cum omni reverentia invoca et honora. Mira devotorum experimenta: fidem praebent verbis ostensis: Nec pigeat dicere aliqua suffragia: cum festum agitur in ecclesia sancta. Homo tristis et gravatus: ad amicos accedit sibi magis fideles. Et tu ergo ad Dei sanctos humiliter accede:

et cum bona fiducia necessitatem tuam precando revela. Licet enim modo in magna sint gloria: fuerunt tamen aliquando in miseria nostra. Norunt ergo miseris caritate pleni, plenius misereri. Sive intus sis sive foras transieris: anima tua in manibus tuis semper. Nec propositi tui hodierni obliviscaris: quod heu nimis cito per incuriam perit. Oculi tui super vias tuas: quia ubique insidiae hostis maligni ad capiendum animas vagas.

DE CVSTODIA CELLAE ET SENSVVM EXTERIORVM.

CAPITVLVM IIII.

CVstodi diligenter cellam tuam: et custodiet te. Tutior locus non est servo Dei in hoc mundo: quam latere in secreto: ubi Patrem oret libera mente ostio cubiculi clauso. Periculosus semper exitus cellae: mansio eius quies devotissimae vitae. Qui assuescit cellam suam incolere, cito pacem cordis hauriet: et tutabitur a periculis maximis et multis. Solitudo, devotionis est mater: turba vero conturbat. Christus qui non potuit impediri in turba: declinavit tamen a turba. Vita solitaria, Deo et angelis grata: pacis semper amica. Qui potest capere capiat: solitarius regnum Dei in silentio habet.

Finis religiosi est omnibus terrenis abdicatis: Deo vacare in puritate cordis et custodia oris. Fortis qui contemnit saeculum; fortior qui vincit se ipsum, abnegando omne proprium: propter Christum pauper sponte effectus. Si non vis distrahi et laedi: noli alienis rebus implicari. Quod tibi non est commissum: taceat super hoc os tuum. Si videris geri non recta: ne temere iudices tamen facta tibi ignota. Bene delibera antequam loquaris: ne capiaris in verbo.

Cave a frequenti exitu: et ubi opus non habes ne accedas. Si oboedientia iubet vel utilitas requirit, vade cum decenti disciplina: et cito ad tua revertere secreta. Foris oculos custodi; aures obtura a rumoribus: refrena linguam et bonam meditationem assume. Antequam exeas orationem praemitte: pro diligenti custodia viae. Lege. Dirige Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam. Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea. Iesus et Maria: sint mecum semper in via.

Inter opera tua memor sis dilecti tui Iesu cuncta cernentis sub caelo: qui corda rimatur in omnibus locis et horis. Si non vis irretiri: noli circumspicere multum. Oculi duces sensuum: cito cor vagum inficiunt. Quid prodest videre,

quod non licet habere? Foris saepe hauritur: unde interior homo inquinatur. Difficile est res pulchras videre: et non affici visis. Imago semel inspecta et non statim evulsa: aut noxam generat aut rixam in corde carnali. Ad cavendum ergo laqueos apertos vel occultos: libentius sis intus quam foris.

Rediens itaque ad cellam velut ad tranquillitatis portum: fige in ea stabilitatis ancoram, per orationem ferventem et lectionem devotam. Non enim patitur cella tepidum et otiosum, in se diu morari. Flecte statim genua vel caput inclina ante Crucifixum: et saluta praecipue Iesu matrem dominam nostram. Dicito attente: et replica saepe hunc versum. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo quoniam elegi eam. Domine bonum est nos hic esse super omnia desiderabilia terrae: locus enim iste sanctus est. Quamdiu ergo spiritus tuos rexerit artus; sit cella, requietionis tuae domus ac tumulus: donec tibi aperiatur paradisus caelestis. Est enim via brevis de cella ad caelum: si in ea caelicam duxeris vitam.

Deinde gestus tuos retracta: quid operatus sis foris et locutus. Plange quod tam fragilis sis: quod levi etiam motu resilis a proposito sancto. Quid lucratus

es, si Deum perdidisti propter fabulas? Ecce sine Deo omnia vanitas: meditari autem de Deo mira mentis suavitas. Vtinam damno tuo erudiaris ad cautelam ampliorem foris habendam. Redi tandem ad te ipsum: licet inquinatus et distractus. Recupera in secreto: quod in publico amisisti. Heu raro exitur sine periculo: rarius sine culpa reditur. Reversus gemens tace: et omnia tibi nociva exclude. Memoris Dei solius: nec te moveat de cetero spatiandi discursus. Vidi frequenter evagantes: et nullum fructum inde ferentes.

Tempore laboris vel scripturae: ad breves orationes recurre. Rumina ex psalterio versiculum, aut evangelicum repete verbum: quod te commonefaciat et taedium pellat. Oportet quod sis diligens operator aut devotus orator: si in Dei servitio proficere ac perseverare contendis. Quamvis igitur saepissime evagationes patiaris mentis impurae: ad solita tamen orationum arma et bonarum meditationum studia citius te converte.

Omni die specialem articulum de Christi passione assume: nec non memoriam beatae virginis, tuis intersere exercitiis pro devotione collectis. Libenter sacros codices scribe; quatinus libro vitae merearis inscribi: et a Christo pro modico labore perenni praemio ditari.

DE HORA SVRGENDI ET OFFICIO DIVINO.

CAPITVLVM V.

QVia religiosus es idcirco altioribus sanctitatis studiis obligaris. Recedat igitur somnolentia ab oculis: torpor evanescat et mollities carnis. Virilem animum indue: ad divinum opus perge mature. Esto paratus ad singula quae noveris facienda: erit enim merces operi tuo magna et gloria infinita.

Cum fuerit hora surgendi ne tardes in lecto; sed assuesce surgere cito: et signa te sanctae crucis signaculo trino. Recordare verbi Domini Iesu discipulos excitantis. Surgite inquit vigilate et orate: ut non intretis in temptationem. Lege et Pauli verbum. Hora est iam nos de somno surgere: et aperti sunt oculi nostri surgere ad Christum.

Pulsato ad chorum signo, occurre tempestive cum primis: et loquere cum regibus sanctis. Hoc signum magni regis est: eamus, et inquiramus eum. Sta in choro cum metu et reverentia: et psalle nomini Domini altissime. Sis integre tibi collectus: ac Deo firmiter intentus. Diligenter ausculta Dei verba: quae ibi leguntur et cantantur. Noli taedio vinci:

sed coge corpus spiritui servire. Datur enim frequenter nova gratia devote psallenti. Si non ad primum oris tui sonum lectio sapit aut psalmus; expecta Domini gratiam: et persevera usque in finem. Veniet incunctanter Dominus: et visitabit desideranter ad se clamantem. Tunc mirabitur et dilatabitur cor tuum: in omnibus quae audieris et legeris. Et scies quia multiplex eius lex; et beatus quem ipse docuerit testimonia sua: ad faciendum ea omni tempore cum diligentia magna.

Inclinationes et prostrationes, ac alias bonas consuetudines cum omni humilitate observa: quibus torpentia corda excitantur, ne dormitent prae taedio corpore lasso. Nam cuncta si debite agantur: ad meritum non exiguum computantur. Ipse Dominus noster Iesus Christus instante hora passionis suae: flexis genibus et vultu prostrato oravit ad Patrem. Sanctus quoque protomartyr Stephanus positis genibus: pro lapidantibus se supplicavit. Beatus Petrus apostolus, curvatis in oratione genibus: viduam mortuam suscitavit. Maria Magdalena inclinans se et prospiciens in monumentum: vidit angelos sanctos. Stes ergo reverenter sicuti decet Christi servum; aut prosterne te humiliter uti oportet: nil praetereundo

quae sacra institutio iubet. Pigritiam in sedendo: et levitatem in eundo vel stando, ubique devita. Modestiam, cum religiosa hilaritate prout religioso congruit: moribus ostende. Ne autem distraharis ab astantibus, aut aliquid confuse ibi agentibus perturberis; respice coram te: et divinis sic fixe intende arcanis, ut non movearis diabolico instinctu; cuius astutia saepe confusio fit et risus ex levi facto et modico tumultu: quod lamentandum est et omnimodis praecavendum.

In loco sancto temere quicquam agere: impune non cedit. In praesentia Dei et angelorum frequentia, nil praeter divina cogitare licet; nulla terrena pertractare decet: praecipue in horis et missis, ad devote canendum et silenter orandum deputatis.

Transiens per ecclesiam vel coemeterium: recordare obitus tui diem tibi ignotum. Intuere quoque sepulchra mortuorum; quos sequeris in brevi humo simili operiendus: et oblivioni tamquam mortuus a corde tradendus. Terra es, et in terram ibis: hominum pedibus mox conculcandus. Memento ultimi finis: ecce cuncta velut umbra declinant, et in interitum vadunt.

DE REFECTORIO ET CIBIS SVMENDIS.

CAPITVLVM VI.

ANte refectionis horam: non negligas pro benefactoribus et amicis defunctis orare. Hoc enim pium est et valde salubre. Hoc teneris ex debito fraternae caritatis: et iure divino pro beneficiis tibi impensis. Sicut tibi optas fieri post mortem ita te nunc exhibeas amicis defunctis in celebrando et orando fidelem.

In mensa recordare dominicae cenae: quid Christus Dominus egerit et dixerit discipulis suis. Sit praelatus tuus in medio fratrum tamquam verus vicarius Christi: reliqui fratres convescentes sicut apostoli sancti. Ordo quippe tuae professionis ex apostolica vita sumpsit exordium: ut docet regula beatissimi patris Augustini. Attende sacrae lectioni magis, quam epulis insumendis. Et ne appetitus gulae alliciat nimis, et increscat: amarum fel Christi et acetum in cruce potatum tuis poculis intermisce. Ante sumptionem cibi: levatis oculis mentis in caelum, ora cum propheta. Cibabis nos Domine pane lacrimarum: et potum dabis in lacrimis in mensura. Modeste et cum timore

Dei comedendum est: quia eleemosynae fidelium sunt et labores egenorum. Semper ad commune refectorium vadas quia ibi maior animae fructus: et puriori inde conscientia cum gratiarum actione prandio facto resurges. Ibi cum debita mensura et maiori disciplina necessitas sumitur naturae: et superflua resecantur. Ibi susurria nullatenus audiuntur: sed verbum Dei sine murmure cum silentio pertractatur. Qui autem in privato libenter comedunt infirmitate non cogente: aut disciplinam fugitant, aut gula vincuntur. Officiales propter hospites et necessitates urgentes: saepius adesse non possunt. Bonum tamen exemplum in edendo et loquendo aliis dare tenentur; ne occasione officii liberiores effecti, extra disciplinam tendant: qui ceteros sub disciplina servare iubentur.

DE FABVLIS ET OTIO VITANDIS.

CAPITVLVM VII.

PRandio facto ori tuo frenum impone: quia tunc promptior est homo ad loquendum et ridendum. Memor sis pauperis Lazari ab angelis in sinum Abrahae deportati: qui hic in egestate magna et doloribus vixit. Dives autem deliciis et scurrilitatibus vacans: sepultus est in inferno numquam inde exiturus.

Disce formam vitamque Iesu, in omni humilitate et simplicitate cordis imitari. Tolle quoque cotidie crucem tuam vincendo defectus tuos: ac temptationibus viriliter resistendo. Nam corpore refecto, caro plus temptat: ideo laboribus et studiis est refrenanda diurnis. Si graviora non potes agere: fac libentissime parva. Numquam otio vaces, neque fabulis delecteris. Custodiam tibi, et bonum exemplum fratri exhibere teneris.

DE BENEPLACITO DEI ET CONFIDENTIA IN ADVERSIS HABENDA.

CAPITVLVM VIII.

IN omni igitur re facienda intus vel foris, beneplacitum Dei perquire: et eius honorem maiorem omnibus utilitatibus tuis praepone. Dum triste aliquid adversumque occurrerit: ne paveas repentino timore; sed ad Dominum humiliter confuge: qui non deserit sperantes in se. Nam de se praesumentes Deus humiliat: et confundit in sua astutia confidentes. Omnes electi adversis multis probati sunt, et cotidie probantur; ut in veritate humiliati, et purgati in praesenti: in futuro gloriosius exaltentur. Quando in aliquo excedis non concidat cor tuum:

nec desperes consuetudine prava vel subita commotione devictus; sed agnosce reatum tuum, confitereque delictum: proponens firmiter emendare et cavere de cetero prout oportet.

Praesumptuosus cito desperat in adversis; humilis vero contemptus et exprobratus magis in Deo confidit: oppressusque convalescit. Qui honores non desiderat, nec propria commoda quaerit: securus et gaudens pergit ubique. Angustias patietur: quisquis terrena sectatur. Ex caritate fraterna et oboedientia sancta, relinque privata: et fac quae tibi senseris adversa. Omnia supplebit Dominus: et multo melius quam tu poteris cogitare. Si iniuria tibi fit: pensa quia bene meruisti. Libenter iniurias remitte a quocumque inflictas: ut Deus iterum tibi cunctas dimittat offensas. Cum audieris aliquem tibi durius loqui: noli contendere verbis austeris; sed patienter fer fratris infirma: et indisciplinatum docc ratione prudenti. Qui verbo non offendit: ille perfectus est vir: ait beatus Iacobus. Vtinam tot bona et sancta verba studeas proferre: quot prius vana dixisti. In recompensatione igitur levium nocentiumque verborum tace compunctus: vel loquere sollertiori modo praevisus.

DE EXAMINATIONE CONSCIENTIAE COMPLETORIO FINITO.

CAPITVLVM IX.

SErO iam facto examinanda est conscientia de statu defectus hodierni: si solito pigrior vel ferventior extitisti. Non parcas tibi ipsi in defectibus corrigendis: sed argue quae propria iniquitate commisisti. Tu reus es: tu haec et illa fecisti. Recogita quid in choro, quid in missa, quid in conventu, quid in mensa: quid foris quid in cella hodie egisti vel omisisti. Quando totum emendabis; quando satisfacies Deo et angelis, et hominibus? Debitor es omnium: et ad solvenda debita peccatorum, vix unum habes integrum nummum. Quis iste nummus? Confessio oris ex vera contritione cordis. Loquere ergo cum propheta pro venia impetranda. Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Siquidem tempus magis opportunum ad recollectionem cordis variis occupationibus per diem distracti videtur esse hora completorii: ad quietem sanctae vacationis pro serenatione conscientiae purgandae deputata.

Vae illi qui hanc horam neglegenter praeterit: et de die in diem, de hora in horam locutiones protrahit; nec statum cordis moresque et actus vix semel in die examinat: quod omni hora facere necessarium foret. Quamvis enim tu neglegas intima tua discutere: Deus tamen nil patietur inultum abire. Vsque ad minimum namque quadrantem: exiget talentum tibi commissum. Dedit siquidem unicuique sensus; et legem vitae ad disciplinae constituit ad bene agendum: et ad meliora semper proficiendum: nullum vero tempus otiose vaneque consumendum. Ad te ipsum vel sero revertere miser homo totus deditus externis; qui ignoras quando veniet Dominus: et quam velox tibi instat exitus mortis.

DE SCRVTINIO CONSCIENTIAE IN SPECIALI.

CAPITVLVM X.

QVoniam igitur iustus in principio sermonis accusator est sui: ideo diligentius perscrutanda est cotidiana conversatio in speciali. Stultus odit increpationes, vanus non curat; superbus se excusat, piger dissimulat: dissolutus irridet. Sapiens vero vias suas considerat; praeterita retractat, futura praecogitat,

vitia abhorret: scripturas amat, precibus insudat. Doce sapientem, et amabit te. Securus in bonis ambulas: si mala non lateant.

Capitulum ergo culparum tibi noveris diligentissime esse servandum. Multi computant pecunias et expensas rerum: pauci conscientiam et neglegentias temporum discutiunt. Ideoque magis deficiunt, quam proficiunt. Loquuntur bona et non faciunt; detestantur mala in aliis: se ipsos autem neglegunt in multis. Tu vero aliter institutus es. Et si vere proficere velis: omni vespere te discutere non omittas. Quod si feceris, renovaberis spiritu mentis: et pacem habebit tabernaculum tuum. Secure dormies: et non erit qui exterreat quiescentem in Christo. Mirum valde et tremendum nimis; quod quis audeat ire dormitum, aliquo gravi delicto occupatus: non compunctus neque confessus. Pro dolor, plures percepi in sua malitia et peccatorum faecibus subita morte extinctos: et omnium amicorum solacio destitutos. Ad cavendam ergo detestabilem neglegentiam in examinatione conscientiae propriae de omni verbo et opere, iudicium tibi hora congruenti statue: et rationem villicationis tuae a te ipso exige stricte. Serve male et piger, dic qualiter hunc diem

expendisti? Ecce notavi quod hodie suscitatus non statim alacriter surrexisti; pigritasti in lecto, vix ad ultimum signum te erexisti: et post alios tardior venisti. Non cantasti fortiter: nec attendisti diligenter. Vana retractasti: et prae inopia devotionis etiam dormitasti. Accelerasti ad finem et ad lectum: et hoc mihi valde est suspectum; quia sicut impraeparatus chorum intrasti: sic indevotus existi. Verba multa prompsisti: parvum fructum retulisti. Tarde etiam hodie ad opus accessisti; acediose laborasti: locutus es inutilia, interrogasti curiose; iudicasti suspiciose, risisti saepe dissolute: detraxisti, commotus fuisti. Corde et oculis evagatus es in choro in mensa: et modicum ad lecta attendisti. Saecularia caute auscultasti: verba Christi et sanctorum dicta male retinuisti. De cibo et potu cogitasti: et avide comedisti. Gavisus es de melioribus ferculis; desiderasti amplius: de vilioribus murmurasti. Non fuisti patiens in modico defectu; nec continens a meliori: sed magis tibi quam fratri assidenti id adaptasti. Quaesivisti te in parvis: et maiora scilicet fidelitatem et caritatem perdidisti. Neglegenter horas legisti: sine devotione, sine debita attentione, et sine distincta prolatione verborum. Vide ubi corruisti: et desine

superbire, et gloriari in bonis a Deo perceptis. Gemens deplora interioris hominis statum: multis passionibus implicatum. Scrutare abdita cordis: si ira si invidia, si concupiscentia, si avaritia, si impatientia, aut tristitia: te movit et superavit. Nec solum de malis peractis investigandum est: sed etiam de bonis neglectis perquirendum. Si beneficia Dei cum gratiarum actione cogitasti; si pro amicis et adversariis orasti: si reverentiam praelato, et minoribus fratribus dulcedinem caritatis exhibuisti; si infirmis et temptatis compassus fuisti: si petenti auxilium, si maerenti solacium impendisti. Si denique honorem Dei simpliciter et pure quaesisti: si humanam laudem strenue vitasti, si propriam voluntatem prompte abnegasti; si te nulli praetulisti: si patienter correctiones accepisti. Si paenitentiam iniunctam humiliter implesti: si nemini molestus fuisti; si laesus clementer indulsisti, si ab iniuriato veniam postulasti. Si devote celebrasti; si attente cantasti; si pertinax non fuisti, si ad humilia opera festinasti: si contemptus non contradixisti; si malum pro malo reddere non cogitasti: sed in bono malum vincere studuisti. His sacris scrutiniis mens tua invigilet: istis se frequenter discutiat, increpet, et emundet; ut gra-

tiam caute conserves, amissam recuperes et ad spiritualem profectum vehementius inciteris: deflens omne malum quod hac die perpetrasti.

DE HORA DORMITIONIS ET NOCTVRNAE QVIETIS.

CAPITVLVM XI.

ANtequam vadas dormitum: bona meditatione et oratione te studeas praemunire. De passìone Domini vel iudicio futuro: quod te magis compungit seriose memento. Invoca Iesum et Mariam et angelos sanctos ut te custodiant, ac illusiones nocturnas longius repellant; ne sit somnus tuus bestialis: sed sobrius pudicus et quietus. Ad sobrium somnum: iuvat bona custodia cordis ac sensuum per diem. Quae enim vigilando exercentur: horum imagines in somnis libenter apparent. Signa frontem os et pectus: ut Deus cor tuum ab omni malo praeservet renesque constringat. Sit lectus tuus velut sepulchrum, in quo quieturus es modicum: paulo post iterum surrecturus ad vigilias et Dei laudes celebrandas. Quanto praeparatius transis dormitum: tanto expeditior eris ad resurgendum. Devotos hymnos et psalmos rumina corde et ore: donec incipias suaviter

obdormire. Verbum Christi in cruce ultime dictum, in memoriam mortis eius et tuae expirationis tribus vicibus lege: sursum ad caelum oculis elevatis. Pater in manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis per filium tuum maximae caritatis.

Honeste et verecunde membra tua componas: nuditatem veles, nec crebro te vertas; sed quiete et custodite iaceas, memor Christi in cruce pendentis: qui in patibulo non in molli lecto moriens obdormivit. Si caro titillat, si tetra imago incidit: si quaevis alia passio movet nec quiescere te sinit; ad orationem convertere: signum crucis tibi imprime, flagellum, coronam spineam, lanceam ac totam armaturam crucifixi oppone; ante cuius virtutem non potest hostis stare malignus: nec temptationis illusio perdurare. Adhibe quoque ignem aeternum; supplicia sanctorum martyrum, confessorum constantiam: et virginum fortia trophaea. Attende craticulam Laurentii; fustes Marcelli, ungulas Vincentii: vepres et urticas Benedicti, flammas sanctae Agnetis; acutissimas testulas Agathae, bullientes aquas Caeciliae: dentes bestiarum, horridos carceres, nec non dura vincula pedum sanctorum. Sic Deo iuvante, et ista te cogitante, ignem igne superabis; diabolum

confundes, sanctos honorabis: et in pace Christi dormies et requiesces.

DE VIRTVTE SANCTAE OBOEDIENTIAE.

CAPITVLVM XII.

SEcurissima via ad caelum est stare in oboedientia; et vivere sub disciplina: nec propria uti libertate. Qui perfecte se subicit homini propter Deum; dabit ei Dominus gratiam specialem in praesenti: et exaltabit eum in gloria sanctorum. Tam diu erit lis in homine: quam diu manserit in propria voluntate. Deus sufficiens est causa et ratio: ad oboedien-
dum praelatis nostris. Multo tutius est oboedire: quam praecipere. Cito erit in pace: qui cito se subicit et oboedit. Vir oboediens loquitur victorias ait sapiens: et qui recalcitrat stimulum patietur et
cadet. Si vita alicuius praelati non est ita perfecta et laudabilis sicut status et ordo requirit; tu tamen benefacis oboediendo in bono: quia non ab homine, sed a Deo praemium accipies. Disce
praesentem quem habes patienter ferre: ut mitius feras sequentem. Si hunc non haberes: forsitan duriorem sustinebis. Oportet te unum habere nec pro tuo libitu invenies aliquem: etiam si plures

fueris perscrutatus. Bonus discipulus tam malum magistrum non habuit: quin ei in bonum cessit quod humiliter obtemperavit. Exemplo igitur Christi et sanctorum eius studeas simpliciter et pure oboedire; propter Christum, propter conscientiam et bonam famam: propter pacem cordis, et aeternae vitae gloriam promerendam. Nemo tam quiete vivit, nemo tam secure moritur: sicut verus oboediens, et in omnibus Deo et hominibus subiectus.

EXPLICIT LIBELLVS SPIRITVALIS EXERCITII.

LIBELLVS DE RECOGNITIONE PROPRIAE FRAGILITATIS

INCIPIVNT CAPITVLA LIBELLI SEQVENTIS.

De recognitione propriae fragilitatis I
De contemptu vanae gloriae II
De fideli et veraci amico III
De supportatione fraternae infirmitatis IIII
De spirituali inopia ex subtractione suavitatis internae V
De humili subiectione et propria resignatione . . VI
De laude Dei in tribulatione VII
De laude Dei ex devotione VIII

DE RECOGNITIONE PROPRIAE FRAGILITATIS.

CAPITVLVM I.

Cognovi Domine quia aequitas iudicia tua: et in veritate tua humiliasti me. Haec verba sunt sancti prophetae, et humilis regis David. Quid ergo tu vilis homo ad haec dicis; qui terra es et cinis? Quid grande aliquid de te imaginaris; et alta vanitate delectaris? Aut cur te alicui bono homini comparare audes; cum sis revera peccator, et totus in peccatis natus et totus vitiis ac concupiscentiis plenus? Vere si in veritate te discutis et intueris: omnibus deteriorem te recte iudicabis. Dic mihi qualem meretur confusionem et poenam; qui Dominum terrae aut principem regni contumeliosis verbis et factis indignis offendit? Vel certe quantae vituperationis iaculo ille feriendus esset; qui in conspectu regis et ministro-

rum suorum foetidissimum cadaver tangeret, aut lutum immundum revolveret? Nonne statim confusibiliter expellendus esset; aut etiam carceri tradendus, ab omnibus iudicaretur? Tu es pro pudor stultus ille: qui pessimam hanc rem fecisti. Nam ecce in praesentia divinae maiestatis, et sanctorum angelorum eius: peccare non timuisti. Multa etiam illicita phantasmata versaris quae citissime respuere deberes: et plusquam lutum platearum detestari. Insuper permittis cor tuum in omne paene saeculum vagari; etiam tempore orationis et in loco sacro, ubi cum maiori reverentia et sollicitiori attentione iuberis assistere: ac soli Deo et tibi ipsi firmissime vacare. Quomodo ergo digne dicendus es religiosus; tam longe a Deo et a corde tuo abstractus? Nonne propter tua gravia et multa demerita, velut canis immundus meruisses a conventu sanctorum fratrum expelli, ac duris increpationibus castigari; ut fieret ultio de inimicis regis, quem offendisti peccatis quam plurimis, nec adhuc peccare desistis? Sed o quanta est misericordia Dei super te homo miserrime; quod etiam post tantas offensiones patitur te Deus in hac luce vivere: et pro tantis malis, tam multa bona largitur indigno et ingrato. Si quis in faciem tuam spuisset,

aut verbis contumeliosis confudisset: quantam indignationem adversus eum de illatis iniuriis conciperes; vel quali eum correptione puniendum censeres? Sed quis tu et cuius potestatis in comparatione Dei; cuius faciem offendisti? Vere magna misericordia Dei super te: quod iam consumptus non es, quod adhuc iudicium differt, nec furorem suum in te exagitat; sed clementissime tuam emendationem expectat, et propter paenitentiam vindicare suam iniuriam dissimulat: ut cognoscas, quia suavis et mitis est, et multae misericordiae Deus in omnibus operibus suis. Quomodo poteris oblivisci omnium misericordiarum Domini, ab initio vitae tuae usque ad hanc horam? Proinde sis gratus et humilis; sis mansuetus ad omnia ferenda contraria: propter peccata tua delenda, et propter iram Domini super te mitigandam. Nisi enim citius ac diligenter vitam tuam emendaveris, et in alterum virum te mutaveris: veniet super te calamitas, quam nescis; et stabunt contra te caelum et terra: et omnes creaturae conclamabunt adversus iniquitates tuas; quia indigno serviunt ad necessitates varias: et tu creatori tuo digne non servis. Sed ne divina iustitia super te repente et furibunde oriatur, et stipulam siccam persequatur et conterat;

dum tempus adhuc miserendi est, et locus veniam inquirendi remanet: loquere cum propheta in psalmo, et ora humiliter et confidenter dicens. Fiat misericordia tua ut consoletur me: secundum eloquium tuum servo tuo.

DE CONTEMPTV VANAE GLORIAE.

CAPITVLVM II.

RErum mundi facies indicat: quod mundus amari non debet. Cum enim tam facile se variat: profecto corruptibilem se demonstrat. Nulli fidem firmam servat; sed modicum in apparentia blanditur: et in fine decipit et illudit. Non ergo pulchritudines hominum, non divitiae rerum, non laudes adulantium non favores potentium te moveant et delectent; quia vana sunt et mortifera quaecumque a summo bono retrahunt: et ad infima cogitatum inclinant. Omnis quippe caro faenum: et omnis gloria eius quasi flos faeni. Igitur humanas laudes non affectes; nec vane aliquem extollas: nescis enim quid futura pariet dies. Saepe novissimi sunt primi, et primi novissimi. Fuge laudari tamquam venenum: ne seducaris et perdas boni operis meritum. Vani sunt et stulti: qui laudibus delectantur humanis. Laudetur

Deus: non homo fragilis. Sapiens plus facta ponderat quam verba. Res bene gesta se ipsam laudat. Qui verba tantum sectatur: nihil inveniet. Virtus in Deo facta: a Deo gloriam recipiet. Si ponis vitam tuam in ore hominum; eris modo aliquid, modo nihil: numquam tamen liber et quietus. Iustus verbis non movetur ornatis: sed quod Deo placet attendit. Saepe homines laudant: quod improbat Deus. Multotiens Deus acceptat: quod homines vituperant et spernunt. Ille ergo digne laudatur: quem Deus omnia sciens commendat. Ille adiutus est et valet: quem adiuvat Deus. Ametur veritas, non hominum loquacitas; qui saepe pro odio vel amore moventur: nescientes quid sit in homine velatum. Redi ergo ad conscientiam tuam ubi veritas videt; et scito te infirmum esse et peccatorem: atque cito moriturum. Siquidem in mortis articulo patebit, quam fallax fuit omnis gratia mundi: quam stulta laetitia, laus ab hominibus quaesita.

DE FIDELI ET VERACI AMICO.

CAPITVLVM III.

AMicus tuus est qui in Deo te amat: et propter Deum te tolerat. Vere ille amicus tibi est, qui salutem animae

tuae diligit: non qui foris blanditur et applaudit. Ille tibi dilectus est qui pro malis tuis dolet et orat; qui profectui tuo congaudet: et corripit in caritate. Non est fidus amicus nisi in Deo: et qui sua non quaerit. Qui enim se ipsum neglegit; quid alteri persuadere poterit? Cum tua bene curaveris: facile proximo persuadebis. Si diligis fratris salutem: tuam operari non omittas. Si ordinate procedis: a te ipso inchoabis. Propriae saluti nil anteferendum est: ne tibi obiciatur, medice cura te ipsum. In te praedisce: quid alteri dicas. Doce vivens verbum: te ipsum exemplum ponas, non alterum te neglecto.

Esto bonus et fidelis: et invenies amicum fidelem. Amor Dei amicum fidelem constituit: sine Deo nulla amicitia stabit. Sed ubi talis? qui in omnibus fideliter agit? O quam pretiosus talis: qui amore Dei sit plenus. Amor mundanus cito deficit: et in necessitate vacuum relinquit. Time Deum: et iungetur tibi amicus fidelis. Serva nomen bonum: et invenies socium bonum. Et cum inveneris, utere sapienter: et dilige sicut te ipsum. Multi amici in prosperis: in adversitate vix unus adhaerebit. Non eris tamen desolatus: si Deum habes semper prae oculis. Si Deo non places: non prod-

erunt amici mortales. Si inveneris iustum ac Deum timentem: magis dilige quam potentem. Sustine verbum amici; et memento quia homo est sicut et tu, quoniam solus Deus qui non errat: et in quem peccatum non cadit. Quod non vis sciri: dicito nulli. Arduum et rarum, celare verbum. Sic refer secretum: ut non erubescas cum fuerit detectum. Qui nescit tacere: non diu servabit amicum. Quando multa audisti et perlegisti; si hoc posses retinere ut scires quando deberes loqui et quando tacere: bene didicisses. Det Deus hoc magnum bonum: quia vere egregium donum: quod pauci habent: scire loqui, quando et quomodo et quibus oportet.

DE SVPPORTATIONE FRATERNAE INFIRMITATIS.

CAPITVLVM IIII.

Optima doctrina: patientia in angustia. Salutare verbum: factum verbi. Qui implet mandatum: tremendum iudicium non pavebit. Confundit se ipsum: qui promissum non servat, nec facit quod dicit. Sustine patienter et longanimiter aliorum defectus: quos Deus omnia videns sustinet. A multis Deus contemnitur: et tacet usque ad tempus. Quae emen-

dare non vales, fer bono modo tacendo: et converte te ad Deum magis orando. Siquidem et tu in multis deficis: nec semper facis quod proponis aut dicis. Pronus ad vindictam: non effugiet iram. Qui se semper vult vindicare: paucos habebit amicos. Displiceat semper malum: placeat tolerantia mali. Tristitiam facile vincit: qui nil terrenum novit amare. Exterminat seminarium litis: qui abicit vitium cupiditatis. Sive divitiae sive honores excreverint: non satiant amatores suos, sed implicant et torquent. Desine concupiscere: et desines indignari. Nil stabile sub sole: sed cuncta mutantur, et res et honores. Stabilitur nemo: nisi in solo Deo. Dilectio Dei, stabile fundamentum: humilitas autem meretur hanc gratiam. Qui in Deo confidit: sustinet omnia patienter. Et qui Deum pure quaerit: facile contentus erit. Qui se ipsum quaerit: se ipsum inveniet. Sentiet detrimentum: qui loqui vult ad omne verbum. Fluctuat semper animus: quamdiu consolari quaerit in terrenis. In Deo vera laetitia cordis: extra Deum non est pax nec requies.

DE SPIRITVALI INOPIA ET SVBTRACTIONE SVAVITATIS INTERNAE.

CAPITVLVM V.

PAupertas gratiae: gravior omni paupertate naturae. Inopia spiritualis: dura afflictio est animae. Castigatur saepe iustus: interno solacio occulte subtracto. Eruditur tamen animus flagellis: ne de se praesumat in bonis. Novit ergo Dominus: quid tibi sit utilius. Saepe obest saluti: quod tu vehementer affectas. Est etiam saepe pro te: quod tu aestimas tibi adversari. Placita sibi cupit infirmus: sed medicus dat quod novit salubrius esse. Sanius iaces humi prostratus: quam stabas intus elatus. Liberior est pauper in modicis: quam dives in opibus multis. Nulla res prodest exterius: si interior gratia desit et virtus. Si Deus dulcedinem suam tibi subtrahit, ne mireris; quia multis sic accidit: ne sibi ipsis hanc gratiam ascribant. Iucundius est esse in tormentis et in carcere, cum gratia: quam in domo pulchra cum conscientia mala. Qui consolationem Dei est expertus: omnibus fastidit quae mundus sensibus offert. Cum senseris te caelesti rore perfusum: totum Deo humiliter re-

funde. Si aridum inveneris cor tuum et obtenebratum; ne cesses ad Dominum clamare pro lumine gratiae et oleo misericordiae: ne deficias in via recta prae labore. Dabit enim Pater caelestis spiritum bonum animae quaerenti se.

DE HVMILI SVBIECTIONE ET PROPRIA RESIGNATIONE.

CAPITVLVM VI.

SI vis a malo liberari et in bono confortari: humilia te sub Deo, et propter Deum sub omni creatura. Testatur hoc sanctus David qui dicit. Humiliatus sum, et liberavit me. Non est bonum rebellare Deo: et contradicere sermonibus sancti. Idcirco inclina aurem tuam ordinationi divinae humiliter: maioribus et minoribus subiectus. Humilitas pacem parit et concordiam: et novit omne onus portare. Et homini utilior contemptus suus: quam favor laudis inanis. Felix humiliatio animae dolentis, quae cognitionem propriae infirmitatis sibi aperit: ut plangat intense quod propria iniquitate commisit. Suppleat semper humilitas: ubi deficit perfecta caritas. Cito illi ignoscendum est: qui reatum suum humiliter confitetur. Facile placat iratum: qui humile dat responsum. Valde

magnam rem facit: qui propter Deum se resignat, et in omnibus vincit. Nam qui victor est sui: Dominus est mundi, et haeres caeli. Qui se ipsum non vincit in parvis; quando maiora superabit? Illi Deus est ad votum: qui se reliquit ex toto.

DE LAVDE DEI IN TRIBVLATIONE.

CAPITVLVM VII.

Disce Dominum laudare in tribulatione quam pateris: et fac de necessitate virtutem; ut meritum tuum augescat: et poena minuatur peccatorum. Vis murmurare contra Deum; quia te flagellat et probat? Hoc tibi non expedit: sed magis ora ut malis tuis non parcat. Confitere ergo Domino quia bonus in donis suis: confitere etiam, quia iustus in flagellis tuis. Bonitas sua sine meritis tuis contulit tibi bona; iniquitas autem tua quid meruit nisi flagella? Dic igitur ei in oratione prostratus. Domine Deus ego nil aliud ex me promerui, quam pati et flagellari; nec dignus sum vel minimam a te consolationem recipere: quoniam in multis te offendi. Sis igitur in omnibus benedictus: in quibus me affligis et uris. Si minus est: addes amplius. Modicum est totum secundum quod merui.

Afflictio mea, laus tua sit et gloria. Gloriari enim me oportet hoc modo in cruce Domini mei Iesu Christi. Duret et valeat dolor meus: quantum tibi placuerit. Laudem tuam imple in me: scio enim quod nihil iniuste agere potes. Voluntatem tuam et summum beneplacitum, peto in me perfici usque in finem. Gaudio dixi. Quid tu mihi sine Iesu salutari meo? Nolo in me venias: nisi dixerit Iesus. Dolor mihi dulcior est et erit, quam tu: propter Iesum qui diligens me affligit. Nam salus ubi crux. Et plerumque sub gaudio dolus est occultus: et risus decipit multos. Vir autem sapiens vix tacite ridebit; nam futura metuens mala: considerat quam cito laeta labuntur. Plus te gravare debet culpa commissa: quam quaelibet poena inflicta. Et si remurmurat caro infirma: spiritus tamen debet esse promptus ad omnia ferenda. Itaque dicas. Libenter Domine portabo virgam tuam per gratiam tuam: et quicquid patiendum est pro salute mea aeterna. Multo enim melius ac levius est modo cum bonis et electis affligi: quam postea cum malis aeterno igne cremari. Esto igitur severus iudex in propria causa: ut Deus tibi indulgeat universa mala commissa. Dei enim es creatura etiam cum peccas; ideoque correctioni eius te humiliter submitte: ut

veniam consequaris et salutem. Nam salus iustorum a Domino: et protector eorum in tempore tribulationis.

DE LAVDE DEI EX DEVOTIONE.

CAPITVLVM VIII.

Omnes sancti, omnes fideles et omnes creaturae Deum laudare tenentur: quia exaltatum est nomen eius super omnes. Qui Deum laudant: laudabiles erunt. Qui vero Deum non laudant; confusione sunt digni: et omni honore privandi. Honorabile servitium est, et delectabile officium: corde et voce Deum laudare, et sancta vita glorificare. Si Deum laudas, facis quod debes: et ad quod creatus es. Si Deum non laudas; ingratus es et peccas: luesque ingratitudinis tuae poenas acerbas. Angelorum opus est, et sanctorum omnium gaudium singulare: Deum ac creatorem suum, incessabili mentis affectu laudare, benedicere, et glorificare. Imitantur autem eos qui divino officio libenter intersunt, et in ecclesia Dei devote orant: aut in choro debitis horis alacriter psallunt. Numquam a laude Dei et gratiis cessandum est, quia Deus numquam benefacere cessat: nec communem gratiam cunctis influere tardat. Ipse namque singulorum

curam gerit; paratus ampliora tibi dona largiri, si viderit in minimis te fidelem: et ad regratiandum esse ferventem. Ad quid accepisti os et linguam; nisi ut Deo referas laudem gloriam et honorem? Si tu alicui benefacis aut in melius provehis; nonne aegre capis, si gratias non rependit? Quapropter divinis insta laudibus: et in canore iubilo Deum lauda cum omnibus creaturis; ne contra te testimonium ferant et clament: quod ipsis Deum benedicentibus et ad nutum oboedientibus, tu tacuisti a gratiarum actione et laude divina. Ad excitandam ergo mentem tuam in Dei nominis laudem: lege dum vacat orationem hanc subsequentem si placet.

ORATIO AD LAVDANDVM DEVM FERVENTER.

DEus meus laus mea et gloria mea. Cupio te laudare tam excelsa voce et tam devota mente: sicut umquam laudatus es ab aliqua creatura in caelo et in terra. Desidero te honorificare tam magno et digno honore: sicut umquam honorificatus es ab aliquo sancto in regno tuo caelesti. Opto te venerari et amare tam ardenti affectu et amoroso corde: sicut aliquis devotus et perfectus homo

te dilexit et diligit in hoc mundo. Renovetur semper in me tui amoris sacer et purus affectus; et velut ignis desuper accensus renes meos et cor meum exurat: omnia quoque interiora mea purget et inflammet; ut nil vitiorum in me remaneat: quod oculos tuae claritatis offendat. O Deus meus cordis mei scrutator verus; coram te est omne desiderium meum et multiplex gemitus meus pro defectibus meis: nam prae inopia internae suavitatis ac caritatis deficit saepe spiritus meus. Offero igitur tibi desiderium desiderii mei in laudem nominis tui; accipe vota mea in holocaustum matutinum: et oratio mea sicut incensum vespertinum ad te ascendat et placeat in aeternum. Amen.

EXPLICIT LIBELLVS DE RECOGNITIONE PROPRIAE FRAGILITATIS.

RECOMMENDATIO HVMILITATIS

INCIPIT RECOMMENDATIO HVMILITATIS QVAE EST FVNDAMENTVM OMNIS SANCTITATIS.

Discite a me quia mitis sum et humilis corde: dicit Dominus. Summus magister et legifer noster Dominus Iesus Christus humilitatem discere nos hortatur; quam qui bene servaverit cito perfectus erit: sine qua nulla lectio ad salutem valet; quia in vacuum laborat: qui sine humilitate aliquid scire conatur. Est autem prima lectio Christi, humilitas cordis quasi fundamentum omnis virtutis: et necessaria ad perventionem aeternae salutis. Advertat igitur hanc sacram lectionem: quicumque desiderat habere nunc gratiam, et in futuro vitam aeternam. Qui vero istam humilitatem neglegit; quitquid agit et cogitat: totum destruit et amittit. Doctrinam igitur Christi audiant omnes christiani; omnes religiosi, omnes

sacerdotes, omnes praelati omnes subditi omnes nobiles et vulgares, omnes docti pariter et indocti: quia non elata sed humilia docet Christus; non vana sed utilia, non falsa sed vera: non terrena sed caelestia. Cito igitur doctus erit et beatus, quisquis Christum fuerit humiliter imitatus. Est enim humilitas singularis virtus Christi: contraria diabolo et odibilis mundo. Qui hanc corde et opere tenet, Deo et angelis placet: et securior ex hoc saeculo migrabit sicut Christus dicit. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum. Itaque sine humilitate non est salus: nec virtus nec actio Deo grata. Omnis labor quamvis magnus quamvis diuturnus: sine hac efficitur nullus. Nam profunda humilitas, arcem tenet virtutum: et triumphat semper de inimicis. Exultat de gratia Christi quae illi datur tamquam amico fideli; quia sponte se subdit Creatori, totum bonum ei ascribendo: et sese in cunctis deprimendo. Absque humilitate vera vacuum geritur nomen sanctitatis; nec prodest foris honestas: si intus humilitas desit. Cum humilitate ad summum scanditur bonum: sine ea de summo ruitur in infernum. Testes sunt humilis publicanus: et pharisaeus elatus. Horre Luciferum de caelo cadentem; intuere Lazarum

humiliter iacentem: et ab angelis in sinum Abrahae laetanter elevatum. Vnde humilis mater Iesu dixit in cantico suo. Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles. Exempla sunt plura in scripturis sanctis: et cotidie apparent pericula de sua virtute superbientibus. Qui enim appetit hominibus placere, et magnus reputari: Deo vilescit et sicut fumus evanescit. Omnis superbus coram Deo immundus; nescit se ipsum: nec suum praevidet casum. Qui erigitur in superbiam: iusto Dei iudicio cadit in reprobum sensum. Qui alteri se praefert et altum de se sapit: cadit ab alto humili stante. Latens superbia pestis iniqua: foris blanda intus amara; in prosperis laeta: in adversis turbulenta. Qui alium quaerit confundere et se iustificare: se ipsum confundit et suam superbiam demonstrat. Superbi est sibi ipsi placere, et plus sibi quam alteri credere: et aliorum facta cito reprehendere, et simplices deridere. Hic est proclivus ad omne malum. Perversum namque gerit iudicium, qui magna de se sentit: et de aliis peiora confingit. Superbia numquam melius vincitur: nisi per frequentem exercitationem in operibus despectis et iniuriis multis et locis extremis. Cui grave est subesse et seniori oboedire: longe est a vera humilitate.

Radix virtutum humilitas; pretiosum ex se producit oboedientiae fructum: et maturescit in caritate. Ad verum humilem spectat proprios defectus respicere; se ipsum iudicare: et die noctuque sua commissa deflere. Humilis frater praelatum suum non iudicat, ne Deum iudicem offendat: socium non contristat, seniorem honorat; imperfectum tolerat, pro temptato orat: succurrit indigenti. Duo humiles bene concordant: duo superbi pro vili etiam re contendunt. Verus humilis potest secure laudari; quia in veritate fragilem se cognoscit: et acutos Dei oculos in omni facto et cogitatu suo expavescit. Multum valet ad humiliandum se occulta Dei iudicia timere: et de extremo fine semper cogitare. Vere humilis est: quem laus humana non movet. Et qui caelestem gloriam attendit: omnem temporalem honorem faciliter contemnit. Qui autem propriam gloriam quaerit, in veritate non stat: nec Deum perfecte super omnia amat.

Humilis praelatus Deo carus: et omni honore dignus. Humilis subditus: magno praemio coronabitur in caelis. Sobrius et castus: angelorum socius et hominum decus. Qui saeculi tumultum fugit: castior manebit. Devotus et internus homo secretum diligit: ut Deo liberius vacet.

Tacitus monachus frequenter orans: cum Deo ambulat et caelum penetrat. Bene operans et iniuriam patiens: fructus colligit optimos in futuro. Qui subtilia cogitat et humilia neglegit: foveam parat in quam nescius cadit. Qui ad altiora anhelat: suspendio animam necat. Prudens homo nihil praecipitanter agit. Fidelis nil neglegit: nec fraudem committit. Iustus causas rerum examinat, antequam iudicat. Sub specie boni, fere decipimur omnes. Qui nimis sibi confidit: periculo se exponit. Consultius agit: qui experto et doctiori acquiescit. Consilium quaerere et orationes petere: humilitatis est indicium. Saepe Deus per alium loquitur: quod homini per se non revelat. In hoc magna humilitas et oboedientia apparet; cum quis verbum Dei ab homine imperito audit: et mansuete iracundo respondit. Res plena laude: ad iniuriam tacere. Res confusione digna superiori contradicere: nec obtemperare praeceptis aut monitis virtuosis. Verus humilis oboedit etiam in asperis, et vilibus iussis. Plus omnibus in spiritu proficit: qui profundius se humiliat. Hostem suum uno ictu prosternit: qui proprium videre citius frangit. Quid tam rarum et mirandum; sicut magna agere, et humiliter de se sentire? Quid plus? Gratia Dei non

abuti: neque potestate concessa. Ad evadendum igitur pericula diabolica, a dextris et a sinistris instantia; non est tam potens armatura sicut humilitas vera: et oratio devota cum conscientia pura. Superbus tot habet laqueos: quot cogitationes iniquas et elatas. Humilis mens in bonis non elevatur: sed gratias agit de omni bono quod accepit. Qui se tempestive humiliat sapienter facit: ne deteriora sibi contingant. Per humilitatem placatur Deus de omnibus offensis; aedificatur proximus in aliquo laesus: confunditur diabolus; aperitur peccatori caelum: purgatur omne delictum. Vis non timere diabolum? Humilia temet ipsum. Sola enim humilitas universos diaboli laqueos evadit: potentiamque prosternit. Quotquot deiecti sunt et decepti: per mentis elationem inflati ceciderunt. Esto ergo humilis et vilis in oculis tuis: ne Deo displiceas et cum diabolo corruas. Nam caelum non suscipit nisi humiles; nec Deus eligit nisi hùmiles: nec iustos approbat nisi sint humiles.

DE MORTIFICATA VITA

DE MORTIFICATA VITA PRO CHRISTO.

GLoriosus apostolus Paulus docet me mortificatam gerere vitam, dicens. *Existimate vos mortuos mundo: viventes autem Deo in sanctificatione.* Et in alio loco dicit. *Si commortui sumus: et convivemus.* Idcirco mortificatio est mihi necessaria; et quod in omni re me relinquam et vincam propter Christum: qui pro me mortuus est et resurrexit a morte. In vita Domini nostri invenio perfectam mortificationem mei ipsius secundum affectionem naturae et inclinationem sensualitatis: quae debet utique refrenari et subiugari. Invenio etiam in morte Christi quandam spiritualem et internam vitam gratia et virtutibus plenam: cum qua resurgo ab omnibus perituris rebus et adhaesionibus creaturarum, extra me vel in

me cum aliqua dilectione aut aversione. Et quando ab omnibus vacuus sto et inoccupatus maneo: tunc ad caelum pergo cum Christo; nec ulla res me tunc delectat neque ullum solacium recreat: sed solum unio Christi, sua gloria et esse cum ipso. O quam felix est ista mortificatio: quae mihi aperit ianuam aeternae vitae.

Beatus Iohannes evangelista audivit vocem de caelo dicentem sibi. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo enim iam dicit Spiritus: ut requiescant a laboribus suis.* Vere caeleste est verbum: mori peccato, et vim facere naturae. Nec prius vera interna pax invenitur; nisi homo sibi ipsi sit mortuus et mundo: atque cotidie de novo mori se disponat. Quoniam omni die oportet me proponere, velle, mori propter Christum, et de novo incipere vitam meam emendare; et ad patiendum et moriendum disponere: et me ipsum vincere. Immo omni hora et tempore oportet me niti exire a me ipso et ad fundum me relinquere propter Christum: atque in eius amore mei ipsius amorem abnegare et nihilare. Nam tantum lucror: quantum pro Christo dimitto; et tantum proficio: quantum a me exeo. Vbi me relinquo ibi me invenio: et ubi me ipsum quaero

ibi me perdo. Vbi me ipsum praetendo ad commodum: ibi me laedo. Adhuc in multis habeo mihi ipsi mori: non est mihi cum una morte faciendum. Volo autem libenter mori secundum spiritum: quamvis caro sit infirma et rebellis. Oportet me saepius agere quod invite facerem: et saepe dimittere quod libenter agere vellem. Et in istis tota pugna mea et victoria consistit. Beatus qui in omnibus se relinquere scit et frangere: quia coronam aeternae vitae a Deo accipiet. Hominum praemium vile est et parvum atque nimis cito perditum; sed apud Deum nihil potest amitti: nec in tempore nec in aeternitate. Ego volo apud dilectum Dominum nostrum manere: transeat mecum qualitercumque potest. Quia si deliqui: ipse mihi libenter vult indulgere; et si bene egi: ipse bene remunerabit. Huius rei ipsum accipio testem.

O dilecte Iesu hoc mihi favere digneris: quia ego nihil sum. Bene possum de me conqueri, et valde me ipsum lamentari: quia egomet sum totum quod me impedit et gravat, cum recte aspicio et considero. Confiteor Deo, quod est culpa mea. Et quanto melius me humilio et despicio pro omni causa impediente, eo facilius ad veniam pervenio: et omne onus cum

humili sufferentia oneris Christi vinco. Quid mihi prodest, quod impedimentum meum alteri impono? Si ius habeo; bonum est mihi quod taceo et sustineo: quia multa querimonia non meliorat me. Et si iniustitiam habeo: tunc potius cedo tempestive quam tarde.

O dilecte Iesu iuva me portare onus meum: quia sine te nihil possum. Tu es fidelissimus amicus et auxiliator optimus: quando necessitas rei incumbit. Oportet quod permittam omnia transire super me: et tam iustum quam iniustum aequaliter portem, quamvis sit mihi saepius grave; tamen me ipsum resignabo: quia mox erit hic finitum tam gaudium quam lamentum. Beatus est qui divina promissa expectare scit: et permittit Deum secum agere omni tempore pro meliori beneplacito suo, sine electione et exquisitione. Regratior tibi Domine de omni gravamine et omni bono quod mihi advenit: quo etiam indignus sum. Laudatus sis et benedictus in aeternum: pro omni consolatione, quam umquam sensi. In brevissimo tempore a pressura mea liberatus sum, et statim satis habeo ad portandum: quia nulla res durabilis est sub sole. Taliter huc venit: et sic ulterius procedit. Pati in hoc tempore nulli deficiet: ubicumque quis fuerit vel quit-

quid habuerit. Benedictus Deus, ego bene promerui pati: et recte ad me pertinet tribulari et contemni. Adiuva me amande Iesu: ad bonum et salubrem pertingere finem. Spero quod adhuc totum melius fiet: quamvis saepe titubanter et contrarie in hoc tempore transit. Super quo possum confidere; nisi super misericordia tua dilecte Domine, unicum refugium meum? Quid prodest omne solacium hominum, quando tu me deseris? Aut quid me impedire potest; cum tu mihi assistis? Sed tu saepe nimis remotus es et absconsus. Non possum confidere in aliquo solacio et bono sentimento cordis mei: nam saepe privatus sum omnibus antequam scio vel aestimo. In istis oportet ut iterum discam mihi ipsi mori: et omnem internam consolationem abnegem, et in voluntate Domini nostri voluntatem meam deponam; atque exilium meum et pressuram et caliginem studeam sufferre: donec sibi complaceat mei pauperis creaturae iterum misereri et me consolari. Oportet gratiam Dei expectare, et cum paupertate me iuvare: et pensare quia nec unius assis valore dignus sum. Deus autem omnium bonorum principium est et finis. Ipse repente ditat et depauperat, infrigidat et inflammat; exaltat et deprimit illustrat et obscurat:

multa mira intus agens quae faciliter nequeunt enarrari. Eia dilecte Iesu fac sicut tibi melius videtur: quia ad profundum non intellego me ipsum. Tibi soli notum est, quid mihi utilius sit. Ego committo me tibi: fac mecum secundum praecariorem voluntatem tuam. Quando aliquid mihi obest hoc cito percipio: quia inquietudo cordis non est delectabilis ad portandum. Omnis impeditio et perturbatio: ex propria exquisitione venit. Natura semper quae sua sunt quaerit, diversis modis foris et intus, in magnis et parvis: et valde invite vult mori et se ipsam abdicare. Verumtamen oportet ipsam mori et devinci: si spiritus debet quietari et cum Deo uniri.

Eia dilecte Domine fac me participem gratiae tuae; et ne derelinquas me in necessitatibus meis: quia adhuc plura habeo ad superandum. Necdum ad fundum me reliqui; neque totaliter mihi ipsi sum mortuus: nec ab omnibus creatis rebus et affectionibus adhaesivis solutus et evacuatus; sed natura adhuc fortiter in me vivit, et operatur partem suam: et dat mihi intellegere quod Iebusaeus adhuc in terra mea moratur. Benefac dilecte Domine propter gratiam tuam: quia in virtute tua mox ad nihilum cadunt

i. c. fomes peccati

i. c. in carne

omnes inimici mei. Vnico enim verbo et in ictu oculi: omnes ante te sunt effugati. Verum me oportet semper stare in timore et numquam mihi ipsi confidere; quia licet frequenter eripior et liberor: tamen non sum securus. Super nullo sapore nec commodo nec solacio confidere possum: sed tantummodo super gratia tua o dulcis misericors Domine. Sine te sum mihi ipsi onus et impedimentum: sed tecum et in te efficior firmus et liber et potens mei ipsius. Non possum ponere cor meum super aliquem locum quantumcumque pulcher ille fuerit; quia totum transitorium est quicquid hic quaeritur extrinsecus: totum est instabile et insecurum, in hominibus, in rebus, in domibus, in clausuris; et ubique invenitur defectus contrarietas et resistentia in uno vel in altero: et omnino super pati et premi ab intra vel extra venire vult res quaelibet in praesenti. Nihil quippe iuvat quando passio venit quam decorus sit locus: vel quanta bona habeantur. Qui bene cum paupertate se gerere scit, et melius pati pro Deo ac potius semper minus desiderat quam amplius: ille maiorem pacem obtinebit, et altiorem laetitiam apud Deum. Quamdiu aliquid temporale nimium diligitur: non poterit diu interna pax possideri. Cum simplici oculo

et puro corde cuncta terrena sunt aspicienda; et cavendum ne cum delectatione sensualitatis res considerentur: sic enim absque nocumento et purus in conscientia homo permanebit. Omnibus rebus mundi et cunctis gaudiis caeli: praeponenda est voluntas Dei.

DE BONA PACIFICA VITA

DE BONA PACIFICA VITA CVM RESIGNATIONE PROPRIA.

SI vis Deo digne vivere: debes te ipsum illi resignare. Pone cor tuum ad quod esse debet: tunc pacem habes ubique. Praepone graviora portare: tunc minora facilius supportabis. Disce in omnibus te vincere: tunc pacem intus habebis. Quod debeo hoc volo: et sic caelum habeo. Cum patientia et silentio: maior pax acquiritur. Sapiens est: qui bene patiens est. Si debeam me et omnia vincere: tunc oportet me a mortificatione inchoare. Ante omnia mortificatio mihi necessaria est et bona. Quamvis haberem istud vel illud: tamen mihi non sufficeret. Depone ex corde placet et displicet: et nihil te urgebit. Eris quietus ab intra: si te non fundis nimis ad extra. Noli sollicitari de bonis terrenis: ne perdas aeterna bona in caelis quae Christus promisit amicis suis. Quicquid scitur vel habetur: nihil est, nisi Deus ad votum habeatur. Qui omnia parvi pendit quae sub caelo delectant; potest

supra caelos tollere mentem: et aliquam de caelestibus gaudiis capere partem.

Heu quomodo potest hoc esse: quod utique volumus aliquid esse. Nil tamen in veritate sumus: quamvis nobis ipsis aliquid esse videmur. Quid vis multum conqueri, et hinc indeque discurrere; quocumque vadis et venis, non omnia prospera invenies: quia ubique occurrit aliquid ad patiendum. Et si inde nescis gaudere; oportet te tamen sustinere, et tandem ad pacem te ponere: sicque in patientia omnia superare. Totum nihil est: nisi desistas te ipsum in aliquo quaerere. Quamdiu hic vixeris contra te ipsum certare habes: et adversarium sustinere. In hoc crescit meritum tuum: si propter Deum sustines quod tibi est molestum. Qui pati fugit, ipsum sequetur: quia ista vita plena est defectibus et pressuris. Quamvis libenter esses liber a passionibus cunctis: tamen non esset semper profectus tuus. Patienter ergo sustine: si vis Deo placere et multum promereri. Nam totum tibi cedet in bonum: si de manu Dei accipis omne infortunium tamquam animae lucrum. Recta via ad caelum: est pati propter Deum. In humili sufferentia: cognoscitur virtuosa vita et caelestis sapientia.

DE ELEVATIONE MENTIS

DE ELEVATIONE MENTIS AD INQVIRENDVM SVMMVM BONVM.

Vacate et videte quoniam ego sum Deus. Ecce inquiro te Deus meus non per sensus corporeos, neque per sensibiles imagines sed in me super rationes intellectuales; ubi tu luces intellectui meo veritas aeterna bonitas immensa incomprehensibilis claritas, omnem creaturae comprehensionem excedens, omnem aciem mentis repercutiens, et super omnes caelestes spiritus secundum quidditatem te incognite servans: et tamen secundum cuiuslibet beati spiritus capacitatem te totum communicans, atque omnibus et singulis infinitam deitatis tuae gloriam et superessentialem naturae tuae substantiam manifestans. O Trinitas unus verus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus aeterna gloria et summa beati-

tudo sanctorum; omniumque caelestium virtutum aeterna fruitio: ex quo omnia per quem omnia in quo omnia, procedunt, consistunt, et terminantur. Notas mihi fac vias tuas et semitas tuas edoce me: quoniam viae tuae viae pulchrae, et omnes semitae tuae pacificae. Beati mundo corde et beati pacifici: viae sunt et semitae ad cognitionem vitae contemplativae. Laborandum ergo diligenter et orandum: ut ab omni faece vitiorum cor mundetur: et sic liber ad Deum pateat accessus.

Oro te Deus meus et precor te ex totis intimis meis: libera me et eripe distractum et captivum animum ab omnibus mundi concupiscentiis et corporalibus imaginibus; ut te ipsum in me ipso illuminata ratione inveniam: qui me ad tuam pretiosam et incorruptibilem fecisti imaginem. Non enim in aliqua mundi creatura tanta relucet sapientiae tuae pulchritudo et similitudo; sicut in hominis anima quam tui capacem fecisti: et omnibus creaturis per rationem intellectualem excellentissime praefecisti. Eleva ergo mentem meam ab omnibus terrenis, et purifica cordis mei affectiones: renova me secundum interiorem hominem, et reforma imaginem tuam per septiformem Spiritus sancti gratiam; quam immortalem

invisibilem et incorpoream, omnibus virtutibus habilem aeternae veritatis capacem, sui intellegibilem, rationis compotem, bestiis eminentem: omnibus sensibilibus et visibilibus digniorem ad imaginem et similitudinem tuam creasti. Repelle a me et expelle quidquid potest imaginem tuam maculare et obfuscare; ne indigna conspectui tuo fiat: et oculos maiestatis tuae offendat. Dignare hanc pretiosam et nobilissimam imaginem tuam caritate informare; intellegentia illuminare, et sine intermissione visitare: quam sine medio intueris et in esse conservas. Recordare quam alto consilio ipsam prius de nihilo sed non pro nihilo condidisti: quam magno sacroque commercio de peccati vinculo ipsam rursus redemisti; et tantae dignitatis creaturam ne sinas substerni mortali vitio: sed ab omni defende malo ac dita per gratiam. Multiplica in ea dona largitatis tuae; et quod minus valet ex infectione corruptae naturae: suppleatur ex supervenienti dono gratiae. O veritas mea et misericordia mea; da mihi te videre sine forma corporea: sine specie imaginaria, et sine omni luce creata. Da purae mentis intellegentia te conspicere: qui mundis cordibus te videndum promisisti. Beati inquis mundo corde: quoniam ipsi Deum

videbunt. Alta et magna promissio: sed puris ac illuminatis mentibus congrua. Quae dum terrena cuncta relinquunt, et corporea universa transcendunt: recto iudicio aeternae veritatis lucem contemplari merentur. Et quanto longius a creata luce et conditarum rerum ratione recedunt: tanto eminentius supra se in divinae claritatis secretum rapiuntur. O qualis visus, quam purus intuitus, quam beatus ille oculus: quo sine imaginibus et corporum similitudinibus cernitur veritas Deus. Oportet cor esse liberum et ab omni inordinata affectione purgatum; oportet mentem esse inoccupatam ab omni strepitu et imaginatione corporum: si debeat aliquid comprehendere de aeterno incircumscripto lumine illuminante totum mundum. Da mihi Domine, ut in lumine tuo videam lumen; non lumen caeli non lumen terrae, non angelicum non humanum lumen: sed lumen aeternum increatum immensum ineffabile incomprehensibile superessentiale et incommutabile lumen. O quam gravis est mihi sarcina carnis, quam onerosa lex peccati in membris meis: quae impedit et retrahit ab aspectu caelestis luminis; a vultu gloriae Dei, a gustu felicitatis aeternae, ab introitu civium supernorum: quos laetitia sempi-

terna circumdat et implet. Largire obsecro Deus in tempore brevi servo tuo gratiam et benedictionem caelestem: qui necdum dignus sum haurire de fonte pleno aquae vivae salientis in vitam aeternam. Visita me frequenter clementissime Iesu, et in amore tuo vehementer accende; ut discam omnia inferiora et creata despicere: et te solum aeternum et increatum bonum pure quaerere, et super omnia te propter te veraciter amare.

DE VERBO INCREATO AETERNO ET IMMENSO SVPER OMNES DOCENTES ANIMAM ILLVMINANTE.

Lvcerna pedibus meis verbum tuum: et lumen semitis meis. O Verbum Dei in excelsis, quod omnia praecedit, omnia illuminat; omnia ad perfectum perducit: et nihil inordinatum in creaturis relinquit. Verbum tuum Domine lux mea et gaudium animae meae; sine quo in tenebris sum et in maerore: cum quo gaudio perfungor et lumine. Aperi mihi Domine portam claritatis aeternae: ad inveniendum Verbum tuum in caelo. In caelo permanet Verbum tuum: in generationem et generationem veritas tua. O aeternum et immensum Verbum, per

quod facta sunt omnia: quod omnia novit, omnia iuste et recte disponit. Huius altitudinem caeli non capiunt; profunditatem iudiciorum abyssi expavescunt: latitudinem orbis terrae non attingit. Aeternum Dei Verbum, multis verbis non exprimitur; nec variis imaginationibus concipitur: nec ab aliquo creato intellectu penetratur: sed super ineffabile et incomprehensibile praedicatur. Credi potest et amari: plene concipi non potest, nec effari; quia hoc Verbum Dei Deus: sicut testatur beatus evangelista Iohannes. In principio, inquit erat Verbum; et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum.

O ineffabile et nimis amabile Verbum; dulce ad audiendum, iucundum ad cogitandum: felicissimum ad fruendum. Hoc multipliciter animae loquitur; videlicet per scripturas, per praedicatores, per angelos et arcanas revelationes: sed multo iucundius et sublimius, cum per se Veritas menti ultro illabitur.

O si possem vacare et videre quam suave sit hoc Verbum verum animae lumen, vita viventium, beatitudo regnantium; credo quod nulla me frangeret pressura laborum, nulla me teneret copia bonorum: sed cito vilesceret et deperiret omne terrenum.

O quam bonum et iucundum est adhaerere Deo, frui Verbo; de Verbo concipere, Verbo vivere: et immortales fructus parere. Non est hoc Verbum quod sono finitur aut mente imaginatur: sed omnem transcendit imaginationem et loquelam. Nam hominis verbum transit; Verbum autem Dei aeternum et immutabile manet: atque cuncta mutabilia immutabiliter disponit. In homine reperitur prius et posterius, et in omni creatura est esse mensuratum; nec quicquam perfectum et simpliciter per se bonum, nisi summum aeternum bonum: quod omnibus dat esse, et cuncta conservat in esse.

O unicum Dei Verbum; non ex tempore factum nec in tempore productum, sed ex Patre aeternaliter genitum: pro mortalibus autem in tempore ex virgine incarnatum. O aeternum Dei Verbum, immensum et infinitum, angelorum esca et hominum: quod sumptum non consumitur, nec in edentem transfertur; sed sumentem in se transmutat: et ab omni creato bono, ad aeternum incomprehensibile bonum transducit.

O quid est cognoscere Verbum Dei; quid est audire Verbum Dei, non hominis non angeli: non alicuius creaturae existentis sub caelo. In sinu Patris est Verbum: in secreto manet unigenitus

Patri coaeternus et coaequalis. O quis potest comprehendere illud aut cognoscere; nisi per verbum Verbi? Hinc Verbum in carne ait. Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius: et cui Filius voluerit revelare. Opus est ergo revelatione Verbi: ut intellegatur Verbum. Orat propheta ad capiendum Verbum: intellectum inquit da mihi et vivam. Vita et salus animae credere Verbo, diligere Verbum: et in Verbo supersperare. Cupit anima fidelis frui Verbo; sed non datur videre illi nec prius experiri: nisi voluntate et revelatione Verbi. Conari potest, desiderare potest; sed comprehendere non potest: nisi se ipsum voluerit in spiritu revelare. Praepara ergo te anima mea: et fac quod potueris. Sede sola, tace ab omni strepitu vitiorum; nec quicquam te moveat foris: nec intus conturbet. Amore summi boni: despice omne temporale. Converte te ex toto interius: ascende paulisper superius. Leva te supra te, transcende omne quod in tempore fit: relinque omne quod creatum est, exclude quidquid modum habet vel gradum quantumlibet altum; ut invenias Verbum increatum: super omnem creaturae cognitionem exaltatum. Quantum te Verbum iuvat tantum poteris; quantum te illuminat tantum videbis:

quantum te accendit tantum ardebis et amabis. In Verbo vinces mundum: in Verbo praevalebis adversus omne malum. In Verbo firmaberis in virtute: in Verbo exaltaberis supra virtutem. Propter Verbum Dei relinques omnia, patrem et matrem, amicos et proximos; id est quidquid caro et sanguis suggerit despicies: et adhaerebis Verbo, ut unus spiritus cum Verbo per amorem fias; ita ut nihil aliud velle aut nolle in parvo vel in magno, in tempore vel in futuro velis aut affectes: nisi quod aeternae Veritati summe placeat. Propter hoc unicum Verbum cognoscendum et amandum: omnia nobis scripta sunt et dicuntur. Dixerunt autem sancti Dei magna et plurima scripserunt sicut datum est et capabile hominibus fuit: non tamen prout est in se Verbum dicere umquam potuerunt. Omnia sacra verba ex illuminatione aeterni Verbi; ex ipso omne verum omne bonum omne sanctum: omnis virtus omnis potestas omnis sapientia et intellectus. Per exteriores autem voces et verborum significationes paravit nobis iter ad quaerendum se et inveniendum; ut qui ipsum liquido capere non possumus: per verba sacrae scripturae modo creaturae congruo paulatim attingamus. Non tamen contentari debemus auditu sermonis exterioris: nec

pulchritudine sententiarum delectari exterius; sed semper niti ad interiora et quaerere longe supra nos aeterna: immo unum summum bonum aeternum. Hoc angelos pascit sine medio: hoc fideles sacro erudit eloquio; et quandoque per internas illuminationes ad se libere volare facit: donans sentire quod omnem rationem et modum excedit.

DE AESTVANTI DESIDERIO ANIMAE CVM FVERIT VISITATA A VERBO VNICO SPONSO SVO DILECTO.

Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. En aestuat cor meum ad desiderium aeternitatis; atque memorando aeterna et desiderando caelestia grave est pondus propriae actionis: taediosum fit nimis quidquid video in terrenis. Displicet omne humanum solacium; nec invenio doloris mei remedium: nisi cor meum fuerit tecum perfecte unitum. Tu Domine Deus tu doloris mei causa; tu auctor languoris: tu importabilis aestus amoris. Tu me vulneras sagittis occultis; tu me incendis, tu me totaliter penetras: et omnes vires meas consumis. Cur me dimittis languidum iacere; et in suo aestuante desiderio anxie gemere? Quare

fugis tam repente in regionem longinquam et in inaccessibilem caliginem; ubi te sequi non valeo? Noli amator sancte, noli desiderantem te videre despicere: noli te diu abscondere; sed da veniam inquirenti et cito revertere: quia sine te non possum durare nec vivere. Quod si me affligere vis et probare; fac sicut vis et placet: verumtamen gratiam et misericordiam tuam noli mihi penitus auferre. Inveniam obsecro gratiam in conspectu tuo: et inter electos tuos me digneris cognoscere. Noli me in tenebris relinquere, nec patiaris me opprimi tristitia; sed porrige mihi dexteram tuam: et lucem miserationum tuarum mihi restitue.

ORATIO DE ABRENVNTIATIONE OMNIVM MVNDANORVM.

DOmine Iesu Christe spes mea et totum refugium meum; solacium vitae meae et informatio morum, hodie abrenuntio omnibus quae in mundo sunt propter amorem tuum, et haec perficere cupio ad tui nominis honorem. Abrenuntio omnibus amicis parentibus cognatis et propinquis, caris notis et sodalibus universis, omnibus quoque civitatibus castellis villis, montibus et vallibus,

rivulis et fontibus, campis pratis et nemoribus, omnibus ornatibus et pulchris aedificiis, psalteriis citharis organis musicis cantilenis, floribus odoribus, omnibus iucunditatibus societatibus conviviis, collocutionibus visitationibus, salutationibus favoribus honoribus et deliciis hominum, omnibus scurrilitatibus rumoribus ludis iocis risibus, evagationibus discursibus tumultibus et inutilibus occupationibus omnibus divitiis rebus proprietatibus curis dignitatibus, solaciis recreationibus externis, et quibuscumque potest caro temptari allici et delectari et spiritus impediri et inquinari. Te vero hodie eligo mihi in Deum protectorem meum, in gubernatorem vitae meae, in provisorem omnium necessitatum mearum, in consolatorem omnium dolorum et angustiarum ac temptationum omniumque laborum meorum, quibus laborare me necesse est numero dierum vitae meae pro amore tuo et animae meae salute. Tu refugium meum tu domus mea, tu civitas mea, tu habitatio mea, tu cibus meus, tu potus meus, tu requies et refectio, tu socius dilectus, tu intimus amicus, tu cognatus et proximus, tu frater et soror, tu pater et patronus, tu pastor et custos totius vitae meae, cui me et omnia mea fideliter commendo, quia non est salus extra te,

nec tuta vita absque te. Fiat ergo misericordia tua Domine super me, et gratia tua in omnibus comitetur mecum, sitque oculus tuus super me die ac nocte, et manus tua protegat me semper a dextris et a sinistris, ac recto itinere me digneris perducere in domum habitationis gloriae tuae, ubi te merear laudare et benedicere sine fine. Amen.

ORATIO DE FELICI CONSVMMATIONE IN VIRTVTIBVS.

Ro te Domine Pater sanctissime qui omnia in numero et pondere, et mensura fecisti, qui famulatum tibi debitum ab omni creatura rationali vis exhiberi, et praecipue in servis tuis spontaneum servitium diligis et exquiris, dirige actus meos spontaneos in beneplacito tuo, et ad imperium aeternae dispositionis tuae rebelles motus carnis meae reflecte, propriasque voluntates ex integro frangere mihi concede. Sic ordina cunctas affectiones meas ut malas statim ab initio respuam, bonas fortiter teneam, puras diligam teque sine corporea imaginatione contemplari discam. Sic tempera vires meas et operationes exterius ut non totus inhaeream infimis, sed semper potens sim me convertere interius, et sine gravi

tardatione ascendam ad caelestia. Sic me conserva in aeternorum desiderio, in amore sanctarum virtutum in fruitione caelestium, ut tu Domine Deus ampliorem inde habeas honorem et ego salubriorem profectum suscipiam. Non mihi veniat ex tua visitatione pes superbiae nec me vexet pestis vanae gloriae, non me sinas satanae decipi illusione neque falsa rapi dulcedine nec privata devotione extra communitatem recedere, neque immoderata frangi exercitatione, sed da mihi cuncta cum discretione agere, sine sollerti consilio nil praetendere, cum timore et reverentia maiestatis tuae in conspectu tuo munde ac libere sine omni passione et corruptibilium rerum affectione incedere. Da humilem et quietum spiritum possidere, effusum et immoderatum numquam esse nulli quoque creaturae vitioso affectu inhaerere, sed tibi soli cor meum mundum et tranquillum conservare: ut semper ad caelum mente erectus et tibi Deo meo secrete intentus, a nulla re visibili capiar, sed verus mundi contemptor permaneam. Sic exteriora pro loco et tempore da congruenter perficere, ut nullum interioribus meis sint detrimentum, sed omnis labor et actio pro te assumpta ad liberius postmodum vacandum iuvamen mihi praestent et duca-

tum. Omne etiam quod ago exterius, aut quicquid interius intellegere possum, da mihi simpliciter et pure pro maiore nominis tui honore et beneplacentioris voluntatis tuae amore perficere, meque ipsum tibi in omni re desiderabili aut naturae contraria prompte resignare, patienter quoque praesentis vitae sarcinam quoadusque iusseris et meae vocationis terminus venerit perferre, corpus quoque et animam tibi Creatori meo fideliter commendare. Memento mei Deus in hora extremae necessitatis, et fac misericorditer cum servo tuo, qui non in meritis meis, sed in tua miseratione et pietate confido.

EXHORTATIO AD HVMILIATIONEM ET COMPVNCTIONEM.

INclina te anima mea humiliter et sponte sub Deo incurva te profunde sub omni creatura propter Deum. Fac te minimum in corde tuo, nec te dignum aestimes communi hac luce frui, quia Deum et sanctos peccatis tuis offendisti, nec debitam reverentiam eis exhibuisti. Cito ergo ad lacrimas recurre, et cum magna cordis contritione veniam deprecare, ut tibi misericorditer Deus indulgeat, quicquid contra eius benigni-

tatem deliquisti. Antequam dies extrema et mortis hora veniat, lacrimis et precibus studeas faciem pii Conditoris reconciliare, et tuam vitam deinceps ex toto in melius mutare proponas.

ORATIO DE LACRIMOSA CONTRITIONE PECCATORVM.

misericordissime Deus cuius natura bonitas et opus misericordia est, da mihi secundum multitudinem miserationum tuarum perfectam peccatorum meorum habere contritionem, ut dolore cordis intrinsece compunctus amarissime flere valeam, et scelera mea atque delicta universa, digna castigatione extorquere, eaque sacro paenitentiae lavacro abluere possim et purgare, quatinus remissionem omnium peccatorum meorum te propitiante merear percipere, atque in tua miseratione respirare. Da mihi zelo iustitiae adversum me armari et tamquam contra pessimum peccatorem, et iniquum latronem commoveri et insurgere, quoniam te Deum meum Creatorem caeli et terrae gravissime offendi gloriam et honorem tibi debitum non reddidi sed saepe furatus sum mihi aliquid boni attribuendo animam meam iaculis peccatorum frequenter confodi, graviter vulneravi, et

faciliter consentiendo temptationibus carnis spiritum letaliter occidi. Da ergo mihi Domine Deus iudex iuste fortis et patiens tantam contritionem peccatorum meorum et dolorem, quantam dignam noveris peccatis meis deberi, magisque in praesenti punias et castiges quam in futuro iudicio mala mea reserves et condemnes. O pie o clemens Deus esto propitius mihi indigno et maximo peccatori, qui propter peccatores et iniustos in hunc mundum venire dignatus es atque pro eorum reconciliatione ex caritate crucifigi et morte turpissima condemnari non recusasti.

ORATIO DE AMORE VIRTVTVM ET ODIO VITIORVM.

DOmine Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum insere cordi meo amorem tui dulcissimi nominis. Planta in me radices verarum virtutum, et germina sanctae meditationis cum viriditate boni operis fac excrescere et sursum pullulare, ne velut infructuosa arbor stem in domo tua otiosus, sed potius tamquam, olivam fructiferam me excole, et quicquid vitiosum in me reppereris radicitus extrahe et ad nihilum redige. Da mihi odium vitiorum meorum, victo-

riam passionum, mortificationem concupiscentiarum et superborum motuum suppressionem, extinctionem invidiae, mitigationem iracundiae expulsionem acediae, detestationem avaritiae repulsionem malae tristitiae, contemptum gloriae, fugam honoris et omnium consolationum terrenarum abiectionem, ita ut nil terrenum nil caducum nil vanum nil curiosum, nil carnale nil blandum nil asperum, nil cupidum nil lividum nil falsum nil fictum, cor meum tangat moveat vel alliciat, capiat illaqueet aut seducat. Da fastidium omnium terrenorum desiderium aeternorum, amorem omnis boni assecutionem omnis virtutis, cognitionem summae veritatis fruitionem aeternae felicitatis. Concede beatam ac felicem mortis horam invenire et in timore tuo et caritate semper ambulare. Evacua cor meum ab omni creatura et ab omni quod me impedire potest et obtenebrare. Sim simplex purus et totus in te fixus ac suspensus. Da veram internam et divinam pacem, et sine omni perturbatione mentem possidere tranquillam. Da ad aliquid temporale vitiose non affici, nec ab hominibus velle agnosci nec curari nec stulte amari quia omnes seducunt et seducuntur, qui extra te aliquid inordinate cupiunt vel diligunt. Nullum ad me hominem, per

blandimenta aut obsequia fac me trahere, sed omnes a me sapienter removere ad te vero salubriter dirigere, nilque in homine aut aliqua creatura respicere et amare nisi quod tuum est et propter quod facti sunt.

ORATIO. DE PATIENTIA IN TRIBVLATIONE ET ANGVSTIA CORDIS.

DOmine Deus dilecte sancte Pater meus non sum dignus a te consolari et visitari, sed duris verberibus castigari et flagellari. Ego merui gravitates multas, et varias tribulationes habere quia valde peccavi, et innumeris beneficiis tuis ingratus extiti. Ego non sum dignus sicut ceteri boni fideles et devoti fratres mei divinis consolationibus recreari, et inter caelestes convivas computari. Sed obsecro te Pater sancte dulcis ac pie Domine fac me unum ex minimis vernaculis tuis ut sim saltem novissimus pedisequus eorum, quorum vestigia non sum dignus osculari. Habeant ipsi consolationes multas et magnas, quos speciali amore diligis et honoras, mihi minimo et infelici magnum et acceptabile sit quod me affligendo doloribus et contrarietatibus diversis mihi non parcis. Da patientiam pie Domine, et sit mihi omnis

tribulatio et angustia super omnem consolationem desiderabilis et beneventa. Et hoc singulariter pro honore tuo patiar et gratum habeam, non pro meo lucro ampliando vel mercede potiori speranda. Meum lucrum maius non sit quam libenter pro honore tuo pati et usque ad imum desiderare vilipendi et annullari atque cunctorum hominum vestigiis, veraciter subici et humiliter substerni. Infulge cordi meo veritas summa Deus meus lux sempiterna, ut mihi ipsi vilescam, meque despiciam, et tamquam exulem peregrinum et pauperem ignotum, sicut solitarium neglectum ab omni creatura relictum ac omni consolatione humana indignum, in hoc mundo me teneam et praeter in te spem et solacium nullibi quaeram, sed me tamquam mortuum super terram et mundo sepultum existimem, cuius memoria iam diu praeteriit, nec est invenire aliud vestigium, nisi vile latens sub terra sepulchrum. Da mihi aeterna sapientia Patris haec intenta mente saepius percogitare, et considerare novissima mea semper et ad futurum iudicium me praeparare, faciemque tuam praevenire precibus et lamentis.

BREVIS ADMONITIO SPIRITVALIS EXERCITII

INCIPIT BREVIS ADMONITIO SPIRITVALIS EXERCITII.

AB exterioribus pervenitur ad interiora; ab inferioribus ad superiora: a corporalibus ad spiritualia. Paulatim proficit homo: et hoc per cotidiana exercitia. Et licet primo multa sint gravia: tamen in consuetudinem ducta, fiunt levia et sapida. Tria sunt omni religioso necessaria: sine quibus non potest diu stare in bona vita. Haec sunt oratio lectio, operatio. In istis omni die se exercere debet: et semper in aliquo horum occupari.

DE ORATIONE.

Oratio illuminat, oratio purgat; oratio consolatur, oratio laetificat: oratio impetrat favorem, oratio alleviat laborem, oratio nutrit devotionem; oratio praebet fiduciam, oratio expellit pigritiam: oratio

fugat daemonem, oratio vincit temptationem. Non pigeat te orare: si vis a vitiis liberari. Oratio semper est necessaria sicut et gratia: sine qua vivere spiritualiter non possumus. Orare debemus pro gratia: quia gratia est qua tantum indigemus. Melius est orare quam legere: et in tempore suo utrumque est agendum.

DE LECTIONE.

Lectio debet esse quasi oratio: et antequam legis praecedat oratio. Lectio sacra ignorantiam nostram erudit: dubia solvit, errores corrigit, bonos mores instruit; facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad fervorem, incutit timorem: recolligit mentem, recreat fastidiosum animum. Et quia non potes continue orare vel legere: debes aliquid utile exterius operari. In qua operatione oratio praeeat oratio intercurrat: oratio totum finiat.

DE OPERATIONE.

Operari manibus bonum est corpori, deservit spiritui; aedificatio est proximi: et reparatio est sensus nostri. Et si interdum pigri sumus: tamen perseverando vincimus. O quam devoti fuerunt sancti qui sine intermissione orabant;

quam studiosi, qui numquam sacra lectione satiari potuerunt: quam ferventes, qui frangi laboribus non valuerunt. Qui propter Deum sibi aliquam violentiam facit, Deus sibi gratiam maiorem dabit: et cito in virum perfectum mutabitur. Consuetudo mala per bonam consuetudinem vincitur: et bona consuetudo tandem in naturam vertitur; ut quod primo fuit difficile: postea videatur leve ac facile.

DE CHORO.

Esta tria oratio, lectio, operatio occurrunt nobis faciendain choro: quia ibi praecipue frequentatur oratio, in psalmis, hymnis et collectis. Ibi etiam lectio sacra recitatur in matutinis in epistulis et evangeliis; nec umquam deest ibi perfecta eruditio: si fuerit diligens advertentia. Ibi loquitur Iesus nobiscum: cum cantatur. Salus populi ego sum. Et iterum nos loquimur cum Iesu: cum dicimus. Spes mea Domine a iuventute mea: adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Ibi est operatio bona et perfecta: cum corpore stamus et ore cantamus. Non est parvus nec infructuosus labor: die noctuque chorum frequentare. Non est etiam otiosus qui devote orat: immo maximus labor ad orationem se dare,

cum orare non libet. Non est otiosus qui scripturas legit aut legere audit: aut de eis meditatur et ruminat. Fit homini chorus paradisus: si incipit delectari in omnibus divinis scripturis.

DE VIGILIIS MATVTINIS.

Omni media nocte statim ut suscitatus fueris surge alacriter: et praepara cor tuum ad vigilandum et psallendum Domino in laetitia et exultatione. Si non habes devotionem in choro, psalle aequo animo: et expecta gratiam Domini de caelo. Saepe dat Dominus in fine: quod ante iuste denegavit. Vult quod laboremus: vult quod patienter expectemus. Vult quod gratum nobis sit et magnum: quod dare disposuit. Vult ut cognoscamus veraciter quia a nobis nihil boni habemus: sed totum de sua gratia et misericordia nobis constat. Oremus ergo, cantemus et laudemus Dominum Deum nostrum qui fecit nos: quia nihil iucundius, quam Deum corde et ore laudare. Longe sit somnolentia longe et pigritia: ubi in conspectu angelorum et coram oculis maiestatis Dei stamus.

DE MEDITATIONE POST MATVTINAS.

Finitis matutinis offer te ipsum Deo in sacrificium laudis perpetuae: ut in sui nominis laude et amore tota die et nocte te dignetur conservare. Hoc enim principale opus nostrum esse debet, Deum semper laudare: et omnia opera nostra exteriora et interiora parva et magna ad suum honorem pure et integro corde agere. Vita angelica est, chorum cum devotione et reverentia frequentare. Nam ibi plures devoti visiones angelicas habuerunt; saepius in spiritu rapti sunt: frequenter illuminati, dulciter consolati et fortiter accensi sunt.

DE CVSTODIA CELLAE.

Finitis primis vel tertiis studeas te continere a verbis multis et circuitionibus; sed quanto celerius potes cellam pete: et aliquid boni exercitii propone, quod tibi per totam diem deserviat. Statue firmiter quod hodie velis te custodire in omnibus moribus et sensibus tuis; habere scilicet pudicos oculos non curiosos, pauca et utilia verba: gressum maturum et incessum humilem; et in omnibus motibus et statu nihil agere aut prae-

tendere: quod cuiusquam offendat aspectum. Vbicumque necesse fuerit te esse: omnibus privatis praetermissis studeas tempestive venire. Nec assuescas malum usum: posterior saepius veniendo. Nihil aestima quod facis: si non prius feceris quod debes. Esto igitur ubique cum primis: alacer et paratus in omni loco et tempore ad hoc deputatis. Communia semper praepone propriis et privatis. Alterius potius quam propriam facere studeas voluntatem: et eris omnibus dilectus tam Deo quam fratribus. Pauca verba et humile responsum habeat os tuum. Melius est tacere: quam imprudenter loqui. Libenter sis in cella: si non potes custodi os tuum.

DE EXITV AD LABOREM.

Antequam exeas, et postquam intraveris cellam: brevem habeas orationem. Noli cor tuum effundere ad exteriora: sed disce manibus operari et corde orare. Nemo statim perfectus est, nec una die acquiritur virtus et devotio ista: sed cotidiano exercitio et diligenti proposito efficitur homo devotus et internus.

DE OBOEDIENTIA ET HVMILI RESPONSIONE.

Quod tibi semel inhibetur: sic studeas dimittere, ut non sit opus secundo. Quod tibi pro bono dicitur, pro bono accipe: et eris semper inde melior. Non quaeras excusationem in defectibus: sed humiliationem cum emendatione. Si vis semper lucrari et amari: humilia te et tace sustinens. Virtutes semper laetificant: passiones maestitiam generant. Sacram scripturam dilige; libenter in corde lege: et aliquid inde extrahe. Disce devote meditari; cum gemitu cordis orare: et mentem ad Deum elevare.

AD QVID OMNIA EXERCITIA.

Omnia exercitia ad hoc dirigenda sunt: ut passiones vincantur, ut propria voluntas mortificetur; ut mundus contemnatur, et Deus diligatur: ut caro refrenetur, et spiritus ad caelestia elevetur; ut omnibus affectionibus mitigatis: puritas cordis et tranquilla mens possideatur. Modicum laborabis: et magnam requiem invenies. Breve est tempus peregrinationis nostrae: sed praemium nostrum erit gaudium sine fine. Multi maiora tolerant pro mundo: quam nos

pro Deo. Multi duriora patiuntur, et virilius agunt pro inferno: quam nos pro caelesti regno.

DE REFVGIO AD DEVM SEMPER HABENDO.

Viriliter age et confortetur cor tuum: Dominus erit tecum in omni tempore et loco. Quaere illum et invenies: clama ne cesses; si moram fecerit, expecta eum: et non morabitur. Dic ad eum. Veni Domine et noli tardare: Domine ad adiuvandum me festina. Adiuva me Iesu bone: et salva erit anima mea. Servus tuus sum ego; da mihi auxilium gratiae tuae: et bene mihi cito erit. Domine dignare esse mecum: et ego libenter volo esse tecum. Domine propter te incepi, propter te mundum reliqui; propter te patior temptationes istas, propter te suscepi labores istos: propter te morior tota die, propter te aestimatus sum sicut stultus et inutilis homo; propter te arguor et corrigor: propter te surgo et canto, propter te ieiuno et vigilo, propter te laboro et scribo; propter te cellam custodio et taceo, propter te omnia ago et sustineo: quia tu bene dignus es et largus ad retribuendum mihi in tempore tibi placito. Domine suscipe servum tuum in bonum:

et non timebo quid faciat mihi caro vel homo. Domine Iesu esto tu refugium meum: et unicum solacium meum. Esto tu specialis amicus meus: quia omnes amici mei me reliquerunt. Esto tu spes mea: quia vana spes in hominibus. Esto tu gaudium meum et laetitia cordis mei: quia omne gaudium mundi totum inane. Esto tu dux meus et notus meus et socius meus in via qua ambulo: quia homines cito deficient et auferentur a me. In te cantatio mea in te consolatio mea: in te tota fiducia mea. Sis tu salus mea et honor meus: amor meus et dulcedo mea. Da mihi amare crucem tuam: et imitari vestigia passionis tuae. Scribe vulnera tua in corde meo; et da mihi ex desiderio sustinere improperia et iniurias undecumque illatas: et tibi configurari in vita et in morte. Tu mihi vivere sis: et mori pro te lucrum magnum videatur.

DE MEDITATIONE PASSIONIS CHRISTI.

Multa bona confert passio Christi frequenter cogitata. Et quandocumque aliquid adversitatis vel gravitatis extra vel intra occurrerit; tunc specialiter est recurrendum ad passionem Christi: et pensandum, quanta Dominus sustinuit

pro nobis indignis. Et in hoc debemus consolari quia dat nobis de calice suo bibere: et vult quod discamus in nobis suam passionem perfecte sentire. Modicum confert poenas Christi cogitare: nisi homo velit similia libenter tolerare. Debemus etiam pensare: quanta passi sunt sancti tormenta pro nomine Christi.

DE VIRILI CONFIDENTIA.

Ergitur abiecto timore servili: induere spiritum fervoris et dilectionis. Accipe fortitudinem, et induere armaturam Dei: ut possis resistere in die malo. Confide fili et noli timere: quia tecum sum dicit Dominus ut eruam te. Confortare et esto robustus: quia plures nobiscum sunt quam contra nos. Ego inquit Dominus ante te ibo et pugnabo pro te: eroque tecum ad quaecumque perrexeris. Pone ergo totam spem tuam in Domino et noli esse pusillanimis corde: sed constans et virilis ad omnia.

DE CVSTODIA CELLAE.

Sit tibi cella paradisus: chorus caelum, lectio sacra cibus. Sit tibi silentium amicus: labor socius, oratio auxiliarius. In choro sis stabilis et quietus:

tibi soli et Deo maxime intentus. In cella, aut legens aut orans, aut operans inveniaris. Ad loca ubi multi conveniunt, et loquuntur: non transeas. Tene te solitarium: et senties bonum. In labore et communi societate: raro aut parum loquaris. Raro egredere foras: et si evocatus fueris cito revertaris. Vbicumque esse debes: sine mora venias. Humiles et compositos mores habeas: et omnes sensus tuos sub disciplina custodias. Disce te pro Deo pati, in omni necessitate et gravitate. Non sis importunus: sed omnia fac cum tranquillitate. Cum patientia et humilitate omnes vinces adversitates. Viriliter age et confortetur cor tuum: et fugiet inimicus.

DE CONTEMPTV CONSOLATIONVM TERRENARVM.

Beatus qui non habet consolationem in terra. Beatus qui despicit omnem requiem temporalem pro Christo. Beatus qui se pati scit: cum a Deo et ab hominibus derelictus fuerit. Beatus qui ordinationem Dei expectat: et omnia de manu eius accipit. Disce sine humano solacio vivere: etiam cum copia assit consolatorum. Fragile et indurabile est solacium in hominibus confidere, aut nimis de eorum

praesentia gaudere; vel de absentia contristari. Nec enim tu diu hic eris: nec illi etiam diu tecum permanebunt. Cito cuncta oblivioni tradentur: et ideo tamquam nihilum et inane omnes res mundi in corde tuo censeantur. Sit locus tuus proprius regnum Dei, et mansio caelestis: ubi Christus est in dextera Dei Patris. Nulla terra nulla patria, nulla civitas tibi placeat aut alliciat ad videndum sed tantum caelestis habitatio sanctorum, ubi sunt novem ordines angelorum, laudantes Deum in saecula saeculorum. Amen.

FINITVS ET COMPLETVS ANNO · DOMINI · M.CCCC.XLI PER MANVS FRATRIS THOMAE KEMPIS IN MONTE SANCTAE AGNETIS PROPE ZWOLLIS

EPILEGOMENA.

A. CONSPECTVS SVBSIDIORVM COMPENDIORVMQVE.

I. LIBRI VARII ARGVMENTI:

1. bibliographici:

a) *Backer* = Essai bibliographique sur le livre De Imitatione Christi Par le R. P. Augustin de Backer, de la Compagnie de Jésus. Liége imprimerie de L. Grandmont-Donders, libraire, 1864. 4°. VIII et 258 pp.

b) *Fromm* = Veröffentlichungen der Stadtbibliothek in Köln. 2. Heft. Die Ausgaben der Imitatio Christi in der Kölner Stadtbibliothek. Bibliographisch bearbeitet von Dr. E. Fromm. Köln, 1886. Verlag der M. Du Mont-Schauberg'schen Buchhandlung. 8°. XVI et 129 pp.

2. historici:

a) *Amort Plen.* = Plena ac succincta informatio de statu totius controversiae Quae De Authore Libelli de Imitatione Christi inter Thomae Kempensis Canonici Regularis & Joannis Gersenis Ordinis S. Benedicti Abbatis Patronos jam a centum annis agitatur, Ubi Simul utriusque partis Argumenta juxta Leges Artis Criticae expenduntur Authore R. D. Eusebio Amort Ecclesiae Collegiatae ad S. Crucem Pollingae Canonico Regulari, Bibliothecario ac SS. Theologiae Professore. Cum Facultate Superiorum. Augustae Vindelicorum, Apud Antonium Bonaventuram Bissoni, Bibliopolam An. MDCCXXV. 8°. 12 et 334 et 1 pp.[1] [*Backer* 3139, *Fromm* 503.]

b) *Amort Scut.* = Scutum Kempense sive vindiciae quatuor librorum De Imitatione Christi quibus Thomas a Kempis contra Joannem Gersen In sua a tribus Saeculis non interrupta possessione stabilitur. Ubi Simul utriusque Partis Argumenta pro & contra expenduntur. Authore

[1] Id est 12 paginae numeris non signatae, 334 signatae, 1 non signata.

A. R. D. Eusebio Amort, . . . (ut supra). Coloniae Agrippinae, Sumptibus Henrici Rommerskirchen, Bibliopolae Anno M.DCCXXVIII. Permissu Superiorum. 4°. 68 pp. [*Backer* 3142, *Fromm* 75.][1]

c) *Amort Ded.* = Eusebii Amort canonici regularis et decani Pollingani Deductio Critica qua juxta sanioris criticae leges moraliter certum redditur ven. Thomam Kempensem Librorum de Imitatione Christi authorem esse. Cum responsione ad oppositiones Gersenistae Schyrensis frivolas eo modo scripta, ut pro generali formula circa controversias historicas de scriptis, documentis, monumentis vel actis publicis veterum haberi possit. Cum permissu superiorum. Augustae Vindelicorum, sumptibus Joan. Conradi Wohleri, Bibliop. Ulmensis MDCCLXI. 4°. 4 et 344 et 8 pp. [*Backer* 3163, *Fromm* 508.]

d) *Amort Mor.* = Eusebii Amort Canonici Regularis & Decani Pollingani Revm̃i ac Serm̃i D. D. Iosephi Episcopi Augustani, S. R. I. Principis Darmstadiani, Landgravii Hassiae etc. etc. Theologi Moralis Certitudo pro ven. Thoma Kempensi Contra Exceptiones Novi Gersenistae Ratisbonensis Ex LXX. Testibus coaevis omni exceptione majoribus, & ex XX. Formulariis Manuscriptorum coaevorum Aeri incisis, Praetensam Manuscriptorum Gersenisticorum antiquitatem de errore ad oculum convincentibus, conformiter ad sanae Criticae Regulas Supplementi loco vindicata. Accedit Responsio ad novam speciosam Opinionem RRm̃i D. D. Petri Faita, Abbatis Cassinensis Brixiae; quod Joannes Gerson Abbas Coelestinorum Lugduni, frater Gersonis Cancellarii, sit author Librorum de Imitatione Christi: necnon ad novos Scrupulos V. C. D. Boudet C. R. S. Antonii in Gallia. Cum facultate superioris. Augustae Vindelicorum. Sumptibus fratrum Veith, Bibliopolarum. 1764. 4°. 12 et 184 et 17 pp. [*Backer* 3172, *Fromm* 513.]

e) *Becker* = L'auteur de l'Imitation et les documents Néerlandais par Victor Becker, S. J. La Haye Martinus Nijhoff, libraire-éditeur Bruxelles F. J. Olivier, libraire-éditeur Londres D. Nutt, libraire-éditeur 1882. 8°. IV et 256 pp.

f) *Becker Les dern. trav.* = Les derniers travaux sur l'auteur de l'Imitation par Victor Becker, S. J. Extrait des *Précis historiques 1889*. Bruxelles Alfred Vromant et Cie, imprimeurs-éditeurs 3, rue de la chapelle, 3 1889. 8°. 76 pp.

g) *Cruise* = Thomas a Kempis Notes of a visit to the scenes in which his life was spent, with some account of the examination of his relics by Francis Richard Cruise, M. D. (Univ. Dublin) late president of the king and queen's college of physicians in Ireland, consulting physician to the mater misericordiae hospital, Dublin, member of senate of the university of Dublin and of the royal university of Ireland, member of the royal Irish academy, etc. Illustrated.

[1] Adnexum est Scutum Kempense Thomae a Kempis operum omnium editioni ab eodem librario eodem anno in lucem emissae.

London Kegan Paul, French & Co., I, Paternoster square 1887 8°. XVI et 332 pp.

h) *Denifle* = Kritische Bemerkungen zur Gersen-Kempisfrage. Von P. Heinrich Denifle O. P. (Zwei Artikel in: Zeitschrift für katholische Theologie . . . VI. Jahrgang (1882), p. 692–718 und VII. Jahrgang (1883), p. 692–743. Innsbruck, Druck und Verlag von Felician Rauch.)

i) *Gence* = De Imitatione Christi libri quatuor, ad pervetustum exemplar, internarum consolationum dictum, necnon ad codices complures ex diversa regione ac editiones aevo et nota insigniores, variis nunc primum lectionibus subiunctis, recensiti, et indicibus locupletati; Studio I. B. M. Gence, huius Editionis gallici Interpretis, Chartophylacio regio Archivistae olim addicti. Parisiis, sumptibus sociorum Treuttel et Würtz; Argentorati et Londini, in eorumdem bibliopolio. M.DCCC.XXVI. 8°. 4 et LXXXVI et 410 pp. [*Backer* 457.]

k) *Hirsche* = Prolegomena zu einer neuen Ausgabe der Imitatio Christi nach dem Autograph des Thomas von Kempen. Zugleich eine Einführung in sämmtliche Schriften des Thomas, sowie ein Versuch zu endgültiger Feststellung der Thatsache, dafs Thomas und kein Anderer der Verfasser der Imitatio ist. Von Karl Hirsche. Erster Band. Berlin 1873. C. G. Lüderitz'sche Verlagsbuchhandlung. Carl Habel. 8°. XLIII et 522 pp. Zweiter Band. Ibid. 1883. LXXXII et 544 pp. Dritter Band. Ibid. 1894. XXIIII et 339 pp. [*Fromm* 525.]

l) *Malou* = Recherches historiques et critiques sur le véritable auteur du livre de l'Imitation de Jésus-Christ; examen des droits de Thomas a Kempis, de Gersen et de Gerson, Avec une réponse aux derniers adversaires de Thomas a Kempis, MM. Napione, Cancellieri, de Grégory, Weigl, Gence, Daunou, Onésime Leroy, Thomassy, Vert, Veratti, etc. etc. Suivi de documents inédits Par Mr J. B. Malou, Chanoine honoraire de la Cathédrale de Bruges, Professeur de théologie et bibliothécaire à l'Université catholique de Louvain, Membre de l'Académie de la Religion catholique, à Rome, et de la Société d'émulation pour l'étude de l'Histoire de Flandre; aujourd'hui évêque de Bruges. Troisième édition, revue et augmentée. Paris rue de Tournon, 20. Tournai rue aux rats, 11. H. Casterman éditeur. 1858. 8°. XX et 423 pp. [*Backer* 3263, *Fromm* 522.]

m) *Nolte* = Zur Geschichte des Büchleins, welches man gewöhnlich die „Nachfolge Christi“ nennt . . . von Dr. Nolte (in: Zeitschrift für die gesammte katholische Theologie. . . . Siebenter Band. Wien, 1855. Wilhelm Braumüller, k. k. Hofbuchhändler. p. 3–68, 195–228). [*Backer* 3278.]

n) *Pohl* = Thomas von Kempen ist der Verfasser der Bücher De imitatione Christi (in: Königliches Gymnasium Thomaeum zu Kempen (Rhein). Schuljahr 1893–94. Programm, mit welchem zu der am 21. März 1894 stattfindenden öffentlichen Schlufsfeier ergebenst einladet der Director des Gymnasiums Dr. Joseph Pohl. 1894. Progr.-Nro. 447. Kempen, Buch- und Steindruckerei von A. Wefers. 4°. XXVIII pp.).

o) *Pohl Handschr.* = Die Handschriften und die Autorschaft der Imitatio Christi. Von Dr. Joseph Pohl, Gymnasialdirector a. D. in Poppelsdorf bei Bonn (in: Westdeutsche Zeitschrift für Geschichte und Kunst . . . XXI [1902]. Trier, Verlag von Jacob Lintz. p. 316—336).

p) *Puyol Descr.* = Descriptions bibliographiques des manuscrits et des principales éditions du livre De Imitatione Christi par Mgr P. E. Puyol Paris Victor Retaux, libraire-éditeur 82, Rue Bonaparte, 82 MDCCCXCVIII 8°. VI et 490 et 1 pp.

q) *Puyol Hél.* = Héliotypies des principaux manuscrits du livre De Imitatione Christi par Mgr P. E. Puyol Ibid. MDCCCXCVIII. 4°. 2 et 14 et 10 et 6 et 4 et 4 et 8 et 3 et 10 et 4 et 4 et 3 pp. et 35 tabulae.

r) *Puyol Pal.* Paléographie classement généalogie du livre De Imitatione Christi par Mgr P. E. Puyol Ibid. MDCCCXCVIII 4°. VIII et 2 et 330 pp.

s) *Puyol L'auteur* = L'auteur du livre De Imitatione Christi par Mgr P. E. Puyol Première section La contestation Ibid. MDCCCXCIX. 8°. VIII et 638 pp. Deuxième section Bibliographie de la contestation Ibid. MDCCCC. 261 et 1 pp.

t) *Santini* = I diritti di Tommaso da Kempis difesi contro le vecchie pretese de' Gerseniști moderni per Luigi Santini canonico regolare Lateranense [Prima parte.] Estratto dal Periodico Gli Studi in Italia. Anno II. Vol. II. Roma tipografia della Pace Piazza della Pace num. 35. 1879. 8°. 190 pp. Parte seconda Estratto dal Periodico Gli Studi in Italia. Anno III. Vol. I Ibid. 1880. Anno IV. Vol. I—II. Roma Tipografia di Roma del cav. Alessandro Befani 1881. 279 pp.

u) *Spitzen* = Thomas a Kempis als Schrijver der Navolging van Christus gehandhaafd door O. A. Spitzen Utrecht. J. L. Beijers. 1880 8°. 6 et 274 pp.

v) *Spitzen Nouv.* Nouvelle défense de Thomas à Kempis, spécialement en réponse au R. P. Denifle, sous-archiviste du Vatican. Par O. A. Spitzen, ancien professeur de théologie, curé à Zwolle. Utrecht, J. L. Beijers, 1884. 8°. 4 et 169 pp.

w) *Wolfsgruber* = Giovanni Gersen sein Leben und sein Werk De Imitatione Christi von Dr. Cölestin Wolfsgruber Benedictiner zu den Schotten in Wien. Mit Facsimiles mehrerer wichtiger Codices manuscripti. Augsburg 1880. Druck & Verlag des Literarischen Instituts von Dr. Max Huttler. 8°. 10 et 268 pp. [*Fromm* 526.]

II. CODICES MANV SCRIPTI:

A = Autographum bibliothecae regiae Bruxellensis 5855—5861 [1].

[1] Consulas inprimis *Becker* p. 229—244; *id. Les dern. trav.* p. 31—43; *Cruise* p. 171—174; *Hirsche* II 2 sqq.; III 217—239; *Nolte* p. 16—35; *Puyol Descr.* p. 201—250;

A 1 = Autographum bibliothecae universitatis Lovaniensis [1].

A 2 = Autographum bibliothecae regiae Bruxellensis 4585–4587 [2].

N = Codex Noviomagensis, nunc Bruxellensis 22084 [3].

B = Codex olim Bethlehemensis, nunc Gaesdoncanus [4].

C = Codex, quem abhinc aliquot annis possidebant Iosephus Roolf et Oscarus Schmidt-Reder, nunc bibliothecae caesareae universitatis Argentoratensis L. latin. 289 [5].

III. EDITIONES AD AVTOGRAPHVM FACTAE:

S 1 = Thomae a Kempis, Canonici regularis Ordinis D. Augustini, de Imitatione Christi libri quatuor, ad autographum emendati opera et studio Henrici Sommalii e Societate Iesu. Antverpiae, ex officina Plantiniana, apud Ioannem Moretum, 1599. 16°. [*Backer* 133.]

S 2 = De Imitatione Christi libri quatuor, Authore Thoma a Kempis, Canonico Regulari, ordinis D. Augustini; Ad Autographum emendati, opera ac studio Henrici Sommalii e Societate Iesu. Editio altera, priore castigatior, collata denuo cum Autographo. Antverpiae, ex officina Plantiniana, apud Ioannem Moretum. 1601. 12°. 321 et 26 pp. [*Backer* 134, *Fromm* 167.]

S 3 = De Imitatione Christi libri quatuor, Authore Thoma a Kempis, Canonico Regulari, ordinis D. Augustini; Ad Autographum emendati, opera ac studio Henrici Sommalii e Societate Iesu. Editio tertia, prioribus castigatior. Antverpiae, ex officina Plantiniana, Apud Ioannem Moretum. CIↃ.IↃCVII. Cum gratia & Priuilegio. 12°. 321 et 25 pp. [*Backer* 136, *Fromm* 168.]

S 1 = Thomae a Kempis, cum docti tum religiosissimi viri, ordinis Canonicorum Regularium, D. Augustini, Opera omnia. Ad Autographa eiusdem emendata, atque etiam tertia fere ex parte nunc aucta: omnia vero in tres Tomos distributa: opera ac studio Henrici Sommalij e Societate Iesu. Testatur ipse author, ex his opusculis nonnulla se anno Domini 1441. scripsisse: quaedam vero alia, anno

F (vide infra p. 439) p. 5 sqq.; *Santini* II 94—100; *Spitzen* p. 153—159; *id. Nouv.* p. 135—169.

[1] *Hirsche* II 198—326. [2] *Ib.* II 89—198.

[3] Cfr. *Hirsche* III 190—194.

[4] Cfr. B. Hölscher in Zeitschrift für vaterländische Geschichte und Alterthumskunde. 44. Band, 1. Abtheilung. Münster, Regensberg, 1886. p. 163—170. *Hirsche* III 181—190.

[5] Cfr. Codex Roolf, Pergamenthandschrift des Traktats De imitatione Christi vom Jahre 1431. Von Bergrath Schmidt-Reder in Görlitz. Separat-Abdruck aus Petzholdt's „Neuer Anzeiger für Bibliographie und Bibliothekwissenschaft" 1881. Dresden 1881. G. Schönfeld's Verlagsbuchhandlung. 8°. 14 pp. — Otia Lusatica. Von Oscar Schmidt-Reder. Zweites Heft. Görlitz. Verlag von C. A. Starke. 1882. 8°. p. XVIII—XX et 69—97.

Domini 1456. Antverpiae, Ex Officina Typographica Martini Nutij, ad insigne duarum Ciconiarum, M.DC.[1] 8°. Tom. I. 80 et 713 et 10 pp.; Tom. III. (M.DCI.) 203 pp. [*Backer* 2903.]

S II = Thomae Malleoli a Kempis, cum docti tum religiosissimi viri, ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini, Opera omnia. Ad Autographa eiusdem denuo emendata, atque etiam in editione tum prima tum secunda aucta plurimum: Omnia vero in tres Tomos distributa: opera ac studio R. P. Henrici Sommalii e Societate Iesu. Testatur ipse author, ex his opusculis nonnulla se anno Domini 1441. scripsisse, quaedam vero alia, anno Domini 1456. Editio secunda. Antverpiae, Ex Officina Typographica Martini Nutii, ad insigne duarum Ciconiarum, M.DC.VII.[2] 8°. 875 et 1 pp. [*Backer* 2904, *Fromm* 187.]

S III = Ven. viri Thomae Malleoli a Kempis, Canonici Regularis ordinis D. Augustini, Opera omnia: Ad autographa eiusdem emendata, aucta, & in tres Tomos distributa: Opera ac studio R. P. Henrici Sommalii e Societate Iesu. Testatur ipse author, ex his opusculis nonnulla se anno Domini 1441. scripsisse, quaedam vero alia, anno 1456. Editio tertia. Antverpiae, Apud Heredes Mart. Nutii et Ioann. Meursium. M.DC.XV. 8°. 46 et 1040 et 47 pp. [*Backer* 2905, *Fromm* 188.][3]

D = Ven. P. F. Thomae a Kempis Canonici Regularis S. Augustini De Imitatione Christi libri quatuor Ad autographum an, M.CCCC.XLI conscriptum, iterum recensiti. Antverpiae Apud Gasparem Bellerum M.DC.XVI. Cum Priuilegio. 8°. 12 et 458 et 58 pp. [*Backer* 154, *Fromm* 51.]

R I = Thomae a Kempis Canonici Regularis ord. S. Augustini De Imitatione Christi libri quatuor; Nunc postremo ad autographorum fidem recensiti. Cum vindiciis Kempensibus Heriberti Ros-vveydi Soc. Iesu Aduersus C. Caietanum Abbatem S. Baronti. Ad S. D. N. Paulum V. Antverpiae, ex officina Plantiniana, Apud Balthasarem & Ioannem Moretos. M.DC.XVII. 12°. 24 et 516 et 2 pp. [*Backer* 161, *Fromm* 146.]

R 2 = Thomae a Kempis Canonici Regularis ord. S. Augustini De Imitatione Christi libri quatuor; Denuo ad fidem autographi anni M.CCCC.XLI. recensiti: Cum vita eiusdem Thomae, per Heribertum Ros-vveydum Societatis Iesu. Antverpiae, ex officina Plantiniana, Apud Balthasarem Moretum, & Viduam Ioannis Moreti, & Io. Meursium. M.DC.XXVI[4]. 12°. 24 et 418 et 1 pp. [*Backer* 166.]

P = Thomae a Kempis, Canonici Regularis ord. S. Augustini, De Imitatione Christi libri IV. Ex recensione Philippi

[1] Backer p. 208: „MDCI, in-8°, 3 vol. Quelques exemplaires portent la date de 1600."

[2] Titulus specialis tomi primi habet M.DC.VI.

[3] Reliquas editiones permultas sub Sommalii († 1619) nomine emissas hic enumerare operae pretium non esse duxi, quippe in quibus publicandis autographum denuo conlatum esse non videatur.

[4] Idem, quod de Sommalianis editionibus modo dixi, cadit in Rosweydi, qui anno 1629 obiit.

Chifletii, Balernae Abbatis, nec non Ecclesiae Metropolitanae Vesontinae Canonici et Vicarij Generalis. Antverpiae, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti. M.DC.XLVII. 12°. 22 et 439 et 14 pp. [*Backer* 249, *Fromm* 121.]

F = The Imitation of Christ: being the autograph manuscript of Thomas a Kempis, De Imitatione Christi, reproduced in facsimile from the original preserved in the royal library at Brussels. With an introduction by Charles Ruelens, . . . Leipzig, Otto Harrassowitz. 1879. 16 et 240 pp. [*Fromm* 165.][1]

H = Thomae Kempensis De Imitatione Christi libri quatuor. Textum ex autographo Thomae nunc primum accuratissime reddidit, distinxit, novo modo disposuit; capitulorum et librorum argumenta, locos parallelos adiecit Carolus Hirsche. Editio altera, correcta et aucta. In est facsimile autographi Thomae. Berolini sumptus fecit libraria Carolus Habel. MDCCCXCI. 8°. XLVIII et 374 et 2 pp.[2]

B. DE CODICE ARCHETYPO.

I. HISTORIA.

Quo nihil neque optatius neque opportunius editori accidere potest, id huius voluminis tractatus tredecim edenti mihi contigit, ut ipsius auctoris archetypo uti liceret. Codicem enim *A*, quo illi continentur, autumno anni proximi et iterum exeunte hieme huius anni Bruxellas profectus cum pulvisculo excussi. Quem antequam describam atque quomodo eden-

---

[1] Hanc descriptionem imaginemque litterarum codicis autographi primus Elliot Stock librarius Londinensis („Paternoster Row") anno 1879 edidit, cuius editionem non vidi. Eadem cum francogallicis prolegomenis foras data est sic inscripta: „Imitation de Jésus-Christ, par Thomas à Kempis. Reproduction en facsimile du manuscrit autographe de 1441. Avec une introduction par Charles Ruelens, Conservateur de la Section des Manuscrits à la Bibliothèque Royale de Belgique, à Bruxelles. Paris: Librairie Sandoz et Fischbacher. G. Fischbacher, succr. 33, Rue de Seine, 33. 1879" titulique fine sic mutato: „Bruxelles: chez Olivier, libraire, 1879" itemque cum italicis (*Hirsche* II XXXIII).

[2] Prioris ab eodem Hirschio curatae editionis „Berolini, sumptus fecit libraria Lüderitziana Carolus Habel. 1874". 8°. XXVI et 376 et 1 pp. [*Fromm* 131.]

dum curaverim exponam, historia eius videtur adumbranda esse.

Atque quae ille praecipue habuerit fata, in primo ipsius folio complurium manibus scriptum est verbis hisce:

Fol. 1r: *Soc. Iesu Antv. D. P.*[1]

Sub quibus haec leguntur litteris quadratis[2] exarata manu pervetusta:

Liber Monasterij Canōi- | corū regulariū In mōte | scē Agnetis virgīs ac mr̄ | tiris[3] *prope*[4] *fwollis.* |

Ad quae recentior manus infra addidit: *quem F.*[5] *Joan. Latomus professus | ord.*[6] *Regularium in Throno B.*[7] *Mariae prope Herentals, eiusdem | ordinis Generalis Minister facta | visitatione Monasterij S.*[8] *Agnetis prope Swollam eiusdem Monas terij ruinis ereptum ne penitus | interiret Antuerpiam allatum | Joanni Bellero*[9] *amico veteri & fi|deli D D.*[10] *anno Salutis 1577* |

Haec fol. 1v sic continuantur:

Porro Joann. Bellerus PP.[11] | *Societatis Jesu, in gratiam | suorum Filiorum, quos eadē | societas religiosos fouet*[12]*, lubens | donauit Kaleñ Junij 1590* |

[1] Lege: *Societatis Iesu Antverpiae Domus Professae.*

[2] Cfr. *Hirsche* II 7—10.

[3] Lege: *Canonicorum regularium In monte sancte Agnetis virginis ac martiris.*

[4] *prope* per compendium scriptum est. Ceterum compendia non dubiae lectionis ad evitandas difficultates typographicas posthac, prout commodum erit, tacite solvam.

[5] *Frater.* [6] *ordinis.* [7] *Beatae.* [8] *Sanctae.*

[9] De Ioanne Beller seu Bellere homine docto codemque typographo Antverpiensi († 1595) cfr. Bibliographie nationale, Bruxelles 1868, tom. II col. 133 sqq.

[10] *dono dedit.* [11] *Patribus.*

[12] Sex habebat filios, partim (duos) patres Societatis Iesu, partim et ipsos typographos.

Quam donationem a Bellero factam esse petente, ut ex autographo sibi excriberetur apographum[1], testimonio comprobatur in pagina titulum editionis *D* sequente his verbis concepto:

Testimonium
De huius Auctoris Autographo.

Ego Georgius Duras, Rector Collegij Societatis Iesu Antwerpiae, fateor hoc Exemplum ex ipso Autographo Authoris, quod a D. Ioan. Bellero dono accepi esse desumptum, ac deinde facta relectione, per omnia emendatum cum Autographo conuenire.

Ita est
Georgius Duras.

atque perinde Gasparis Belleri in eiusdem editionis ad lectorem praefatione his:

. . . *placuit eundem* [i. e. De Imitatione Christi] *Libellum ad Exemplar transscriptum & collatum a Viro pio, cum ipsius Auctoris Manuscripto, (quod Parens meus piae mem. a R. D. Ioanne Latomo Ordinis Canonicorum Regularium Generali tunc visitatore, accepit, & nunc apud RR. PP. Societatis Iesu Antuerpiae ab Anno 1598 cum cura asseruatur) iterum conferre, atque consilio & hortatu doctorum virorum praelo committere.*

Quas praeterea fortunae vicissitudines autographum subierit, libet hic referre verbis *Gencii* p. XXXVIII hisce: *Missi prius a J. Bollando Parisios ad canon. regul. Sanctae-Genovefae mense maio ann. 1652,*

[1] Cfr. *R1* p. 395 (= p. 39 Vindic. Kempens. Antverpiae, Apud Petrum et Ioannem Belleros. M.DC.XXI).

de quo instrumentum vide sub fine operis P. de Boissy dicti ‚La Contestation rendue manifeste', et postere ab Henschenio et Papebrochio ad Religiosos Sancti-Germani a Pratis anno 1670, ac Eruditorum Paris. ann. 1671 in concilio prolati, Codicis Antverp. ‚variae Lectiones' sub numeris 3, 4 et 6 bis, Chart. 88 A in Bibliotheca Regia habentur[1]. *Nam Codicis hujus, quem vocat archetypon, textum quanquam referre nuntians Rosweydus, alium tamen, Lovaniensem nempe Codicem, etc., ut iam diximus*[2], *Sommalii instar, in subsidium sequitur.*

Atque ut huius adumbrationis finem faciamus, addendum est Societatis Iesu anno 1773 suppressae bibliothecam Antverpiensem primum anno 1778 in abbatiam canonicorum regularium Bruxellensem translatam esse, postea in abbatiam Tongerlonensem, unde anno 1826 Bruxellas reversa in bibliotheca regia sedem ac domicilium conlocavit[3].

II. DESCRIPTIO.

Quantum iis, qui ante me codici *A* operam suam studiumque navarunt, debeam, etsi neque ignoro neque reticeo, tamen, quoniam vel obiter inspexerunt, vel non omnia notatu digna, id quod sane supra hominis fere vires est, viderunt, vel parum accurate pleneve descripserunt, quaedam etiam falso legerunt, tamen, ut cum novae horum tractatuum editionis

[1] Cfr. *Hirsche* III 218—239. [2] *Gence* p. IV sq.
[3] Cfr. Catalogue des manuscrits de la bibliothèque royale des ducs de Bourgogne, Bruxelles et Leipzig, C. Muquardt, 1842, Tom. I CXC.

parandae tum tollendae de auctore librorum de imitatione Christi litis diutinae tandem aliquando certa solidaque fundamenta ponantur, universae memoriae rationem mihi retractandam, id est denuo examinandam, supplendam, corrigendam esse censeo.

A specie igitur et quasi facie codicis depingenda exordiamur. Parvulus libellus est ligneolo conglutinatus tegumento, cuius tergum corio nunc nigricanti antiquitus inducti saeculo superiore renovatum est, retinaculoque cyprio praeclusus. Scidis seu foliis constat CLXXXXIII longis circiter 0,104 m, latis circiter 0,069 m, quorum sine ordine mixtorum CII chartacea, LXXXXI membranacea sunt. Praeterea his locis XXVIII singulae scidulae residuae sunt vix 0,01 m latae foliorum excisorum: inter fol. 32—33, 35—36, 38—39, 43—44, 44—45, *47—48, *49—50, *50—51, *53—54, *54—55, 55—56, 59—60, 63—64, *89—90, *92—93, 100—101, *107—108, 115—116, *118—119, *119—120, 133—134, *139—140, *147—148, *175—176, *184—185, 187—188, 192—193, denique inter fol. 193 et aversum tegumentum; his quattuor locis binae: inter fol. 2—3, 13—14, 61—62, *112—113, quarum quas asterisco insignivi, chartacea sunt. Foliorum autem ipsorum chartacea sunt haec, quae infra scripsi: fol. 5—7, 10—12, 15—17, 20—22, 26, 27, 30, 31, 34, 35, 37, 38, 41—43, 46, 47, 50—55, 57, 58, 60, 61, 65, 66, 69, 70, 73, 74, 77, 78, 81, 82, 85, 86, 89, 90, 93, 94, 97—100, 102, 103, 106—108, 111, 112, 115, 116, 122—124, 127—129, 132—134,

137, 139, 142—144, 147, 148, 151—153, 156—158, 161—163, 166—168, 171, 173, 177, 180—182, 185, 186, 188, 191; reliqua membranacea sunt.

Ex omnibus eis, quae modo enumeravi, foliis tum truncis tum integris plagularum fasciculi consuti sunt XXV haec deinceps folia complectentes: fasciculus I: fol. 1—2, II: 3—13, III: 14—24, IIII: 25—32, V: 33—39, VI: 40—48, VII: 49—55, VIII: 56—61, VIIII: 62—63, X: 64—71, XI: 72—79, XII: 80—87, XIII: 88—95, XIIII: 96—104, XV: 105—113, XVI: 114—120, XVII: 121—130, XVIII: 131—140, XIX: 141—149, XX: 150—159, XXI: 160—169, XXII: 170—178, XXIII: 179—187, XXIIII: 188—192, XXV: 193.

Addere hic placet, qui codicis tractatus quibus fasciculis contineantur:

tractatus I fasciculis II et III,
„ II „ IIII—V fol. 39r,
„ III „ V fol. 39v—VIII fol. 59r,
„ IIII „ IX—XVI fol. 118,
„ V „ XVI fol. 120v—XVIIII fol. 146,
„ VI fasciculo XVIIII fol. 147—149,
„ VII fasciculis XX—XXI fol. 161,
„ VIII fasciculo XXI fol. 162—169r, 10,
„ VIIII fasciculis XXI fol. 169r, 11 XXII fol. 171,
„ X fasciculo XXII fol. 172—175v, 21,
„ XI „ XXII fol. 175v, 22—fol. 176,
„ XII „ XXIII,
„ XIII „ XXIIII.

Iam si cum foliorum numeris scidularum, quas supra commemoravimus, loca contuleris, neque ex quaternionibus IIII, X, XI, XII aut ex quinionibus XVII, XX, XXI, neque ex tractatibus VII -X quicquam excisum esse reperies atque ceteris usus indiciis totius libelli quasi quoddam exemplar nullo negotio reficies, si duo addidero: unum, folium undecentensimum folio centensimo, hoc autem scidulae confini adglutinatum esse, alterum, his locis apparere fasciculorum suturas: inter fol. 1—2, 8—9, 18 -19, 28—29, scidulam et fol. 36, fol. 44 et scidulam, duplicem scidulam membranaceam foliis 52 et 53 interpositam, fol. 59 et scidulam, 62—63, 67—68, 75—76, 83—84, 91—92, scidulam et fol. 101, 109—110, 117—118, 125—126, 135—136, 145—146, 154—155, 164—165, 174—175, 183—184, 189—190, 193 et scidulam; firmitati videlicet compagium ita provisum est, ut fasciculi cuiusque et extera et media plagula membranea esset, pro qua in fasciculo septimo conficiendo intra, in nono extra scidulae adhibitae sunt.

Restat, ut de foliorum illorum usu exponam.

Ac singulorum quidem spatium circiter 0,072 × 0,047 m exceptis foliis 2^{r}, 3^{r}, 59^{v}, 60, 61, 119, 120^{r}, 177, 178, 193, quae scriptura omnino vacant, nisi quod fol. 193^{r} manus recentior subscriptionem folii 192^{v}, de qua postea dicemus, male solvit, litterulis oppletum est. Alia manus recentior saeculi opinor septimi decimi folia undecentensimum et centensimum, quibus huius editionis p. 222, 3 usque ad 224, 18

prudenter | continentur, ad unum folium exectum reparandum mero atramento conscripsit. Quod haud scio an Romam missum sit, ut cum Aronensi codice compararetur [1]. Neque silentio praetereundum est ex parte tantum inscriptas esse paginas has: fol. 1, 2^{v}, 63^{v}, 120^{v}, 137^{v}, 149^{v}, 175^{v}, 183^{r}, 184^{r}, 187^{v}.

Singularum denique paginarum versuum numerus inter mininum, si recte observavi, vicenorum ternorum et maximum undetricenorum variat; maior pars vicenos senos vicenosve septenos habet; ipsarum autem paginarum numeros adscriptos esse manu antiqua illa quidem, neque tamen eius, qui codicem exaravit, numerorum quaternarii (4) et septenarii (7) formis recentiorem aetatem arguentibus probatur.

III. SCRIPTVRA.

Atque quoniam de materia libelli deque argumenti in plagulas partitione satis multa verba fecisse nobis videmur, proximum est, ut, quomodo librarius scribendi munere functus sit, doceamus. Qua in re inprimis notabiles sunt tituli tractatuum capitulorumque praeter titulos capitulorum II—XVI tractatus quinti atramento scriptos, sed rubra linea subscripta conspicuos primae plurimorum capitulorum litterae numerique capitulorum minio exarati, deinde litterae primas capitulo-

[1] *R1* p. 468 (= p. 89 edit. anni 1621): *Quod si de codice nostro, etsi anni indicium secum ferat, nondum vobis liquet, lubens quaedam eius folicula Romam transmittam, ut cum Aronensibus foliis comparentur.*

rum litteras subsequentes[1] atque primae longe maxime partis enuntiatorum litterae[2] rubra lineola directa insignitae, tum singula sive enuntiata sive vocabula linea rubra subscripta notata, denique grandibus litteris scriptae primae litterae titulorum, capitulorum[3], enuntiatorum et fere secundae quaeque capitulorum.

Quae omnia partium orationis discriminandarum sunt. Eodem pertinent litterae C[4] (i. e. capitulum) et ∏[5] (i. e. paragraphus) minio scriptae et quattuor distinguendi notae hae: punctum (.), quod bifariam modo ante grandem modo ante minutam litteram usurpatur, flexa seu clivis sive clinis (⁀), quam dicunt, colon (:), signum interrogationis (?), quarum vim eam esse

---

[1] Lineola deest huius editionis p. 52, 4, ubi per errorem S pro s typis excriptum est.

[2] Lineolam directam deesse observavi his locis: 31, 16; 101, 16; 103, 28; 109, 7; 115, 27; 349, 12; 364, 27; 396, 10. Contra 108, 14 praepositionis post prima littera lineola rubra insolenter signata est.

[3] Illas litteras caeruleo colore pictas esse his adnotavi locis ac tribus quidem primis locis rubro picturae ornatu circa expolitas: 5, 7; 59, 6; 91, 4; 143, 6; 146, 6; 149, 4; 154, 12; 159, 21; 162, 14; 166, 7; 170, 6; 172, 28; 175, 4; 178, 4; 182, 11; 188, 7; 189, 20; 191, 25; 195, 7; 197, 11; 199, 11; 204, 19; 207, 7; 210, 25; 213, 22; 399, 4; 408, 13; 411, 12; 414, 8; 417, 9.

[4] C octogiens bis occurrit: p. 9, 18; 10, 7; 31, 23; 43, 30; 48, 26; 52, 19; 54, 13; 60, 20; 72, 25; 75, 6; 76, 14; 84, 9; 86, 24; 87, 17; 93, 29; 94, 23; 95, 7. 26; 96, 8. 19; 100, 6; 102, 23; 104, 27; 111, 19; 113, 28; 114, 28; 115, 4. 18; 117, 21; 121, 27; 122, 16. 30; 149, 18; 152, 1; 156, 13; 164, 6; 183, 20; 193, 28; 194, 10; 209, 18; 210, 6; 214, 10; 215, 13; 217, 10; 222, 17; 223, 29; 225, 4; 229, 11; 233, 29; 238, 3; 244, 30; 251, 9. 29; 253, 25; 254, 3. 17; 259, 17; 260, 20; 269, 11; 277, 1; 284, 26; 285, 22; 325, 17; 326, 6. 16; 327, 9. 20; 332, 29; 333, 29; 337, 13. 26; 338, 9. 28; 339, 14; 353, 8; 380, 26; 386, 10; 390, 19; 396, 3; 400, 14; 404, 17. 25; 405, 1. 16. 27.

[5] ∏ viciens bis obvium est: p. 72, 8; 85, 3; 268, 16; 269, 21; 288, 16. 24; 289, 11; 307, 6; 324, 16. 24; 325, 6; 334, 8; 335, 8. 13; 339, 26; 340, 12. 21; 341, 14; 342, 13. 20; 343, 13; 346, 6; 348, 1; 349, 6; 364, 17; 387, 23; 388, 8.

Hirsche[1] recte definiendo explicasse videtur, ut longissime, ubi punctum ante grandem litteram, paulo brevius, ubi flexa, etiam brevius, ubi colon, brevissime, ubi punctum ante minutam litteram positum sit, inter legendum subsistendum esse auctor indicasse existimandus sit. In qua re monendum est, saepenumero ante grandem litteram punctum non inveniri, quin mihi contigerit, ut, utrum discriminis quid inter positum punctum et inter omissum intercedat, an ea disparilitas casui neglegentiaeve tribuenda sit, indagaverim. Sed quoniam quod mihi non successit, me sagacioribus fortasse succedet, omnes locos, quibus ante grandem litteram punctum adscriptum non est, in uno conspectu infra componam[2].

[1] *H* p. IX—XI; *Hirsche* I 89—122.

[2] p. 4 in fine titulorum exceptis capitulis I, XIX, XXV; 9, 5. 7; 12, 28; 13, 1; 15, 11. 22; 16, 4. 20; 18, 5; 20, 15; 23, 12; 24, 18; 27, 18; 28, 5; 29, 7; 31, 22. 31; 35, 26; 36, 9; 38, 20; 42, 7; 43, 1; 44, 23; 47, 2. 27; 48, 7; 50, 5. 17; 52, 23. 24; 54, 5; 56, 26; 58 in fine titulorum exceptis capitulis V et X; 60, 23. 26; 62, 17. 26; 63, 23; 65, 5; 66, 1. 24; 67, 1. 3. 24; 69, 9. 11. 16; 70, 9. 14; 71, 13. 29; 72, 12; 74, 4. 18; 75, 26; 76, 13; 77, 9. 14. 27; 78, 9; 79, 3; 80, 26; 82, 16; 84, 13; 86, 14. 23; 87, 1; 90, 3. 12. 15. 18. 20. 22. 28; 95, 19; 100, 17; 101, 1. 13; 102, 29; 107, 26; 113, 2; 114, 23; 116, 4; 121, 18; 125, 28; 126, 3; 127, 7; 131, 13. 23. 26. 31; 132, 4; 134, 14; 135, 17; 137, 17; 140 142 in fine titulorum exceptis capitulis I, XIII—XVII, XXI, XXII, XXV, XXVI, XXXI, XXXIIII, XXXVII, XLVIII, LVI; 144, 12. 17; 145, 12. 13. 28; 146, 28; 147, 21. 28. 31; 149, 6; 150, 5; 151, 16; 152, 14. 26; 153, 7. 26; 154, 9. 10. 11. 27; 155, 1; 157, 23; 158, 14. 26; 160, 5; 162, 10. 17; 164, 9. 27; 165, 7; 166, 5. 29; 167, 9; 172, 27; 173, 16 (bis); 174, 20; 175, 4; 178, 7; 182, 7; 183, 19. 31; 184, 7. 19; 189, 19; 190, 23; 191, 16. 21. 29; 195, 5; 197, 29; 199, 11; 202, 2; 203, 6; 204, 17; 205, 16; 208, 26. 31; 209, 14. 21; 210, 10. 22; 211, 20. 21. 26; 212, 7; 213, 22; 214, 21; 215, 13; 218, 13; 219, 2; 225, 23; 226, 2; 227, 26; 228, 11. 21; 230, 4; 232, 24. 25; 234, 21; 236, 3; 239, 26; 241, 2; 244, 12. 29; 245, 28; 249, 28; 250, 30; 251, 16; 253, 29; 255, 19. 27; 256, 23 (bis); 258, 4; 259, 1. 4. 9; 261, 8; 262, 11; 263, 17 (bis); 268, 28. 31; 270, 21; 281, 7; 282, 10; 283, 14; 287, 18; 289, 13. 28; 290, 6;

Iam ut aliquando ad ipsa tractatuum verba recensenda veniamus, de tribus verborum generibus ante omnia mihi dicendum esse video: de verbis aut in margine aut inter versus additis, de verbis transmutatis, de verbis deletis. Atque in margine quidem suo singulis additamentis loco sive angello (⁄\) sive duabus lineolis ( ) sive punctis (⁘) adpositis, ubi opus erat, adsignato scripta sunt haec:

p. 6, 15. 16 Vanitas igitur est diuicias perituras querere: et in illis sperare, *20 uiter [1]; 7, 7 profecto; 11, 24 quam bonum; 12, 11 *fu(er)it;* 31, 31 militantes; 33, 1 sepe; 34, 19 *in;* 36, 18 ipsius, 23 nimiam; 37, 19 ibi; 45, 30 tua; 46, 22. 23 nunc sunt dies salutis: nunc tempus acceptabile, 29 periculo; 47, 26 tuam; 52, 10 tunc; 60, 29 *sicut;* 61, 26 sapuisses; 65, 22 scilicet; 69, 3 eorum; 74, 16 sixtum; 79, 18 :; 80, 15 crucis; 81, 8 *inuenitur;* 85, 7 sponte; 88, 4 quam pati; 94, 29 deum; 96, 14 redit; *97, 3 sacra [in dextro] mentum [in sinistro margine],

294, 2. 21. 25; 297, 1; 298, 17. 22; 299, 6; 300, 15; 307, 3. 11; 308, 1. 8. 12; 310, 2; 311, 15; 312, 22; 314, 22; 316, 4; 323, 9; 326, 5. 14. 21. 25; 327, 2; 328, 17. 20; 334, 18; 335, 12; 338, 16; 343, 22. 29; 344, 2; 347, 2. 10; 362, 7; 365, 29; 367, 17. 20; 372, 19; 386, 23; 387, 9. 22. 28; 389, 17; 395, 2. 6. 10; 401, 14. 25; 402, 2. 25; 403, 15; 404, 13; 405, 26; 409, 19; 411, 26; 413, 21; 416, 17; 417, 7. 19. 23. 28; 418, 5; 421, 2. 15; 422, 2. 3. 9; 423, 11. 21; 424, 3. 5. 6. 15. 23. 26; 425, 2; 426, 17. 27; 427, 11. 16; 428, 5. 28; 429, 3. 20. 23; 430, 26; 431, 1. 14. 17. 19.

[1] Varietates quasdam additamentorum ita insignivi, ut pallidiore atramento scripta *litteris inclinatis,* eodem modo, sed insuper alia manu scripta cruce (†) praeposita, iuxta ipsum verbum, ad quod pertinent, modo in dextro, modo in sinistro margine conlocata asterisco (*) praefixo, sive primo sive ultimo versus vocabulo aeque finitima, sed praeterea pallidiore atramento scripta asterisco (*) atque *litteris inclinatis,* denique pariter confinia eademque nigriore atramento scripta *litteris inclinatis,* cruce asteriscoque (†*) notata typis describenda curaverim.

22 homini; 98, 10 igitur; 99, 21 enim; 106, 22 crescat mee deuocionis affectus; 115, 18 tibi; 116, 25 sua; 119, 21. 22 anime fideli; 123, 14 *et terre;* 125, 20 *i* [pro deleta posteriore o verbi Nolo]; 126, 10 debet; 135, 4 eum; 136, 9–13 Quod homo non sit curiosus scrutator sacramenti. sed humilis imitator christi subdendo sensum suum sacre fidei; 154, 3 non; 155, 18 scilicet; 160, 15 ab; 162, 23 mihi; 164, 2 debeo; 177, 10 tunc; *181, 24 amorem; 191, 10–12 Veniet super eum quidquid fecerit uel dixerit: quia me fallere non potest; 201, 14 omne; *213, 2 qua; *217, 20 humanis; *218, 21 nec; 233, 9 bona [atramento scriptum, sed manu, opinor, prima]; *235, 31 ibi; *246, 17 sibi; *250, 12 iam; *253, 6 via, 20 a [est in fine versus verbi humilia ultima littera, quae oculis cerni vix potest, ita ut erasa esse videatur. Ante pronomen te, a quo versus sequens incipit, unius litterae lacuna est]; 262, 29 que; *269, 6 sic; 270, 11 illum, 14 ipso; 272, 5 inquit; *273, 8 et pro, 23 beatus, 29 eos; 282, 19 per [posterius], 28 ⁊ [pro quo constanter scripsi;]; 284, 1 ⁊, 23 corona; 285, 9 eciam; *289, 21 aliquo; 290, 12 peccandi; 291, 1 dauid sanctus et, 11 :, 16 cito; 293, 7 *bona operandi*, *28 *ihū;* 294, 19 *male perierunt*, 28 *libenter;* 295, 19 *stabilis*, † 24 *p̃o* [scriptum iuxta X], 30 *sufficienter;* 298, 17 cantare; 299, 3 ⁊, 30 scilicet; 303, 10 bi [syllaba media adiectivi uisibilibus]; 304, 12 ad; 306, 21 marcescit et; *310, 31 pro te; *311, 7 scilicet; 315, 13 ad; 316, 6. 7 postulacio uenie; 317, 25 ad; 318, 26 et [pro quo non sine aliqua dubitatione cum edi-

toribus scripsi est]; 319, 2 anima; 324, 14 debes, 23 eis; *325, 2 quandoque; †*334, 5 *celle;* *336, 27 grata; 347, 23 ad te; 348, 17 et; 351, 23 ab; 359, 17 meretur; *365, 7 di [sic: sciri: | di]; *372, 14 laude; *387, 17 nostrum; *396, 5 uis; 401, 28 intelligencia; 402, 27 meis; 407, 17 magna; 412, 4 domine deus [in rasura], 7 me, 12 michi; 413, 3 michi, 28 deus; 414, 21 armari et; 417, 2 remouere; 422, 23 manibus; 427, 14 :.

Inter versus partim litterae partim verba addita sunt haec, quae quibus locis inserenda sint, iisdem quibus in superiore genere notis indicatum est:

p. 6, 18 statum [minio scriptum]; 11, 2 esse [nigriore atramento scriptum]; 13, 10 c [ad corrigendum santorum]; 29, 27 patrum; 31, 14 i [ad supplendum dlecti]; 48, 20 poterit [in locum potest minio deleti]; 54, 10 est, 16 te; 56, 13 te; 60, 25 es; 65, 9 sunt; 68, 13 est; 70, 14 te, 16 et; 73, 19 *i* [ita: dėici]; 74, 24 cum; 81, 8 *u* [ita: spiritälis]; 83, 7 ad [posterius]; 92, 13 ad te, 14 ut; 94, 24 dei; 97, 2 enim; 99, 9 et; 107, 12 u [sic: a̋ctor]; 112, 21 te; 115, 16 ut; 122, 30 est; 124, 7 omnis; 126, 27 et; 135, 24 tibi; 153, 12 totus; 170, 1 iudicijs; 173, 5 ei; 184, 6 ne; 196, 12 non; 201, 20 et; 209, 20 te; 211, 27 tu; 235, 16 et; 254, 26 ut fugiamus a cruce; 259, 15 viri; 296, 27 in [nigriore atramento superscriptum]; 312, 25 enim; 359, 21 quante; 389, 25 dei; 402, 14 et, 26 carnis; 427, 15 et.

Verba transmutanda esse in *A* alia atris, alia (*) rubris, alia (†) partim atris partim rubris lineolis scito indicatum esse his locis:

*8, 14 | grauia' aliqua |; *20, 29 „de nobis" et imperfecte ; *21, 15. 16 "viuere diucius |; †25, 14 ‖ latet ‖ ab intra ; *33, 30 „offendisti "deum [deum in fine versus scriptum est]; †38, 21. 22 "alibi "non inuenies ; †41, 5 "pigri "valde |; 44, 7 "potest ĕciam |, *22 "hic "tecum ; *45, 20 "viam "eandem |; *68, 20 "mala" super nos ; *69, 27 "commendat ‖ deus; *73, 11 "sit dominus "suauis |; †86, 23 "posses "omnes ; †87, 18 vĭtam ducere |; *98, 24 ĕxplicare "hominum |, *31 "bonitatem "infinitam ; *101, 28 "erit ĕt heres ; †111, 27 "ut "magis |; 113, 22 perpetue "laudis; 121, 8 "me potest res |; 122, 1 „corpus "sacrum ; *123, 4 "ille manus |, 18 deus "omnipotens; 124, 11. 12 "maneam "apud te |, †23 "preparares "te ; †129, 8 "cognoscunt "veraciter, †14 "tuo "mendico ; 131, 1 „viceris "perfecte ; 147, 27. 28 "lego "cotidie; 151, 23 "habeo "necesse ; 158, 6 "possunt decipi ; *161, 18 hauriunt "viuam |; †165, 29 "debet castigari; †169, 14 platearum" lutum ; 171, 29 vti hŏc ; 176, 4 "non proicias "me; 180, 11 "res "quandoque |; †183, 26. 27 "recolligam "me ; 195, 16 "potest "te ; 202, 4 "possit "creator ; †211, 5. 6 „omnia „omnibus ; †220, 24 „redire „oportet ; †235, 13 "abnegare "se; †238, 17 ĕnim "est , †29 "iudicium tuum "inscrutabile ; *239, 9 dŏcebit me ; †251, 10 "tua domine ; †252, 5 "gracia "michi ; 258, 18. 19 "honorat "magnum; 269, 7 ⁄scitis⁄ hec ⋀ : ; 15 ⁄nature⁄ prauitatem; †271, 5 „malam „consuetudinem ; 275, 30 "vobis ymagines ; †276, 27 "timet "diabolus ; †277, 16 'vidisti "prius |; 280, 30 "contagio "peccati |; †282, 15 ‖ defectuosa ‖ aliqua ; *285, 18 eius' frater';

†286, 22 'exempla devotissima'; 287, 5 "periculo "maiori ; 290, 25 "cordis" custodiam'; 297, 25 "te "eciam ; 298, 16 "permane solus; 300, 10 "ad cantandum "alarum suarum sonitu ; 318, 16 "eos "possit ; 349, 5 "culparum "ergo; 351, 30 "tua "mens ; 353, 4 "oculis "ad celum ; 367, 18 multis "opibus; †386, 19. 20 "me "oportet ; 392, 1 aspicienda" sunt; 401, 9 "fiat "conspectui tuo'; 404, 11 "potest non; *405, 20 "uerbum "dei; †407, 27. 28 "capere "liquido ; †408, 8 "sentire "donans ; 411, 17 "diligis "seruicium ; †412, 10 "deuocione "priuata ; *415, 2. 3 "michi "ergo.

Reliquum est, quod mihi extremum proposueram, ut sive verba sive verborum reliquias similiaque plerumque minio, raro (†) atramento rasurave deleta enumerem. Quod ita instituam, ut expuncta illa verbo proxime et praecedenti et consequenti cincta uncis includam. Sunt autem haec:

11, 6 pereunt [pereunt] per; 14, 28 corrumpitur [corru] et; 19, 1 sibi [ipsi] vacare; 34, 18 exercicia: [et sanctorum suffragia] quia; 47, 30 eterna [vi] tabernacula; 48, 15 est [quod] iudicabit, 20 nemo [potest] per[1]; 49, 5 subiugare [nititur] conatur; 60, 10 hominibus [nucu (?)][2] sperare; 62, 15 bene [us] dispositus; 72, 12 cito [perdere] fugare; 73, 8 alicuius [n] creature; 78, 22 humilior [man] et; 80, 26 benedicunt. [Et si ihus[3] vellet quod ire(n)t in infernum.

---

[1] Vide supra p. 451.

[2] Quid lateat, van den Gheyn et ego extricare frustra studuimus.

[3] Id est: Iesus.

ibi equ(e)[1] contenti essent nec minus eum[2] amare(n)t[3].] Et; 84, 15 grauiorem. [reperies] Credis; 94, 29 populum [deu] israhel; 100, 11 et [ptipc] particeps; † 102, 17 misteria [:][4] ac; 117, 24 remedium: [et] et; 123, 16 lege [scrıı (sic)][5] dicitur, 21 bona [tibi] famulari; † 125, 20 Nol[o] (vide supra p. 450); 128, 21 ita [ita] aridus; † 155, 20 recordacione [·] a; 158, 7. 8 exercitatis [minus libenter] credere; 176, 4. 5 deleas [me] de; † 191, 28 sed [sed][6] que; 203, 22 vix [aut] raro; 214, 12 uel [a ⁞] audita; 229, 9 beata: [et] societas; † 245, 5. 6 pene [to] totum; 251, 18 eloquencia [aliquod] valent; 255, 8 te (sic rasura dissectum); † 270, 12 emendacionem [:] sed (superius tantum punctum deletum est, ut modo supra 102, 17); 282, 11. 12 temere [no] iudicet; † 310, 12 benedic [ce] et; † 314, 5 sibi[7] [bi] et; 403, 7 in [tuo] amore; 406, 5 pater[8] [et] neque; 407, 6 patrem [videlicet] et; 410, 10 occupacionibus [·] omnibus; 415, 6 [reconcilianem] deberi. [soluendam]. magisque; 431 orans [:][8] aut.

His adposite adiungentur dittographiarum non correctarum exempla duo haece: 157, 9 paci cienter; 316, 28 deuo uotus.

---

[1] *Spitzen Nouv.* p. 146 perperam legit: quoque.

[2] *Id. ib.:* eum minus; *Hirsche* III 232: mininum.

[3] *Hirsche ib.:* curarent. Ceterum, etiamsi verba non solum minio deleta, verum etiam radendo attenuata sint, tamen lectionem eorum certam esse adfirmo.

[4] Punctum superius deletum est.

[5] Librarium primo scribere in animo habuisse „scriptum est", Schmidt-Reder, Otia Lusatica, Görlitz 1882, p. 96 et coram me van den Gheyn probabiliter coniecerunt.

[6] Lineola deletilis admodum tenuis est.

[7] „sibi" nigriore atramento scriptum videtur esse in rasura.

[8] Punctum superius videtur deletum esse.

Atque ut omnes correctiones et lituras, quas adhuc congessimus, ad scribentis sive celeritatem quandam sive dubitationem sive emendandi studium revocandas esse manifestum est, ita codicis *A* orthographiae rationem, de qua accuratius nobis iam disputandum est, aetatis illius sive usui sive abusui in universum penitus servire nemo negabit. In qua disputatione lectoribus hoc videtur praecipiendum esse, haud ita pauca in *A* optimae aetatis consuetudinem secuto recte scripta esse, quae ab editoribus in deterius mutata sunt. Ecce exempla maxime memorabilia:

Recte scripta sunt sine *c: artare*[1]*; artus* (adiectivum);

per *c: auctor, caritas, caritative* 282, 17; *carus; cotidie; cotidianus; cum* (coniunctio); *dicioni* 86, 1; *empticius* 213, 28; *nouicij* 44, 16; *solaciosissimus* 183, 7; *solacium;*

c simplici: *bucina* 93, 22;

sine *h: pro* (interiectio) 349, 22;

per *i: inclita* 127, 20; *lacrima;*

simplici *i:* verba composita *iaciendi: abicere; adicere; deicere* 19, 16; 130, 14; 180, 8; 255, 22 rell.[2]; *eicere; proicere; subicere* rell.;

---

[1] In conscribendis exemplis eam fere rationem tenebo, ut singularia suis retentis formis locisque indicatis, saepius obvia nominativum infinitivumve in grammaticis lexicisque primo loco conlocari solitos praeoptans proponam.

[2] Contra quod semel legitur *deici* 73, 19 *i* pallidiore atramento superscripta, id manus posterior sine dubio interpolando adulteravit: cfr. supra p. 451.

simplici *l: milia; milies* 236, 23;

l geminata: *mille; sollers; sollicite; sollicitudo; sollicitus;*

per *m: quamdiu; tamdiu; tamquam*[1]*; umquam;*

per *n: multociens* 169, 18; 363, 11; *quociens; tociens;*

n geminata: *mercennarij* 81, 2;

per *p: attemptare; temptaciones; temptare;*

p geminata: *repperi* (perfectum);

s omissa: *exilium; exul;* et constanter post *ex* in verbis compositis, quae ab *s* incipiunt veluti[2]: *existere; expectare; expoliare; expuere; extirpare; exultare; exurgere.*

Consonantium in praepositionibus non attractarum vel ut nos dicere consuevimus, non adsimilatarum haec adnotavi exempla:

admiscetur 291, 12; *admittere; adnichilare* 219, 29; *inparatus* 119, 9; *inperiti* 158, 4; *inpretermisse* 206, 19; *obprobrium.*

Quod in titulis optimae aetatis codicibusque antiquissimis observasse mihi videor, idem codice *A* comprobatum inveni in mediis verbis ante *s* numquam *ii*, sed

[1] *tanquam* 222, 7 in folio legitur postea inserto; cfr. supra p. 445 sq.

[2] Cfr. Quintilian. I 7, 4; Priscian. I 51, 1, ed. Hertz; Wilh. Brambach, Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie . . ., Leipzig, Teubner, 1868, p. 278—280. Equidem sescentis antiquarum inscriptionum et optimorum librorum manu scriptorum exemplis collectis scripturam *exs* . . . minus usitatam fuisse dixerim.

constanter *i* scribente, velut *audisses* 38, 23; *audisti* 47, 12; *exisses* 38, 22; *petisti* 131, 1 itemque numeri quaternarii et simplices et compositas formas eadem constantia tales: IIII, XIIII, XXIIII rell. (nusquam IV, XIV . . .).

Et quoniam, quae in laude ponenda erant, persecuti sumus, ne illa quidem, quae *A* illorum temporum malam consuetudinem [1] amplexatus peccavit, silentio praetereunda sunt.

Atque omnium mendorum *e* sine ulla exceptione pro *ae* et *oe* scripta frequentissima est, cuius exempla sunt:

anime, *estimare*, *eternus*, *cecitas*, *celestis*, *celum*, *cenobium*, *defedare*, *demones*, *magne*, *merere* (pro *maerere*), *obediencie*, *obedire*, *pena*, *penitencie*, *penitere*, *querere* (pro *quaerere*), *secularis*, *seculum*, *ve* (pro *vae*).

Alterum genus mendorum tralaticiorum est, ut *ci* sequente vocali pro *ti* scribatur, cuius exempla, id quod ex eis, quae iam supra per occasionem attuli, patet, passim occurrunt, velut: *arciori* 107, 26, *eciam*, *leticia*, *ocium*, *preciosus*, *precium*, *renunciare*.

[1] Ad eam consuetudinem pernoscendam perversarum scripturarum copiam coacervavi e libris S. Augustini, Aviti, Ausonii, S. Benedicti, Cassiodori, Ennodii, Eugippii, Eutropii, grammaticorum Latinorum, Gregorii Turonensis, Iordanis, Iustiniani Digestorum (recogn. Theod. Mommsen), Landolfi, Pauli Diaconi, Salviani, Sedulii, Sulpicii Severi, Venantii Fortunati, Victoris Vitensis, aliorum, in quibus perscrutandis fere usus sum editionibus Monumentorum Germaniae Historicorum, Corporis scriptorum ecclesiasticorum Latinorum operumque in aedibus B. G. Teubneri Lipsiensis curatorum. Quas singulas hic enumerare quoniam longum est, fontes illarum indicasse sufficiat.

Tertio loco meo iure ponere mihi videor errores plurimos littera *h* male modo addita, modo omissa commissos.

h addita: *abhominande* 180, 27, *anchora*, *archa*, *archanum*, *choruscacio*, *habundancia*, *habundanter*, *habundare*, *superhabundans*, *heremita* 36, 21, *heremo* 30, 15, *iherusalem*, *ihesus*, *israhel*, *michi*, *nichil*, *nichilo*, *nichilum*, *nichileitas*, *adnichilare*, *perhennis*, *sathan*, *sathanas*, *thus*.

h omissa: *abilis*, *abilitas*, *carismata*, *cristus*, *ebitudo* 44, 26, *scolis* 221, 13, *ymnos* 300, 31 [1].

Quarto loco non inmerito iam sequetur magnus *i* et *y* inter se confusarum numerus.

i pro *y*: *abissalibus* 171, 1 [2], *apocalipsis*, *gazophilacio* 122, 8, *gira* 172, 22 [3], *martir*, *misterium*, *mistice*, *paraliticus*.

y pro *i*: *cythara*, *cystersienses* 55, 12, *dyaboli* 116, 14, *eya*, *hyemem* 73, 23, *hylaritatem* 187, 9 [4], *inhyabat* 129, 2, *sydon* 146, 27, *syrene* 197, 6, *tyronem* 210, 2, *ydoneus*, *ymaginacio*, *ymaginari*, *ymago*, *ymmo*, *ymus*.

Porro usus litterarum, quas dicere consuevimus, sibilantium in *A* instabilis atque incertus est. Nam praeter *eciam* quaeque sunt eius generis et *cystersienses*, de quibus supra diximus, huc pertinent:

[1] Aliis locis per compendium scriptum est: *ȳni*, *ȳnis*, *ȳnos*.

[2] *abyssalis* 120, 31.

[3] *gyrouagi* 204, 23.

[4] *hilaris* 74, 5.

abcedente 159, 1, *abcedet* 287, 14, *abcisione* 167, 24, *dissenciones* 257, 20, *dissencionis* 257, 25, *musitacione* 283, 21, *musitare* 166, 2, *sencibus* 181, 30, *sintillam* 27, 7[1] atque, quod ad aetatem codicis *A* accuratius explorandam maximi momenti esse infra demonstrabimus, *concilium*[2] saepenumero scriptum pro eo, quod scribi debebat *consilium.*

Atque, ut hoc quoque moneam, Graeca perperam scribuntur haec:

accidia, accidiosus, agonisa 295, 17, *cimiterium, elemosina, iheronimo* 293, 10.

Denique notanda est constans praepositionum adsimilatio verborum *ammirandi* et *ammonendi* cum derivatis suis, *s* geminata verbi *asscribendi*, constans scriptura *optulit,* unicum *oppone* 353, 18.

Haec habui, quae de vitiis orthographicis codicis *A* generatim dicerem; deinceps de ceteris singillatim dicendum est.

i pro *e: diffinicionem* 6, 8; *diffinita* 187, 1; *ebitudo* 44, 26; *intelligencia; intelligere; intelligibilem* 401, 3; *negligencia; negligenter; negligere.*

ij pro *i: hij; hijs.*

o pro *u: adolescencia; homoncionem* 115, 2; *iocunditas; iocundus; tondendum* 237, 26.

f geminata: *diffinicionem; diffinita.*

[1] *scintilla* 250, 16.

[2] *concilium* perperam scriptum habes: 12, 6; 17, 6; 23, 3; 99, 16; 117, 12; 127, 8; 158, 30; 199, 21; 238, 21; 252, 10; 255, 16; 401, 18; 412, 14; eodem pertinet *conciliator* 109, 4; contra recte scriptum est *consilium* 158, 5; 283, 30; 289, 19. 26; 301, 20; 302, 23; 304, 27; 381, 14, et quod eodem pertinet *consiliarij* 262, 20.

f pro *ph: fantasia; fantasma.*

k pro *c: karissime* 46, 28; 47, 21.

l non geminata: *humilimus* 169, 5; *solempniter* 93, 23.

m non geminata: *comoditate* 234, 8 [1].

n geminata: *connectit* 275, 4; *rennuis* 62, 26; *strennue* 31, 30.

n non geminata: *anullare.*

n omissa: *quociescūque* 217, 10 [2].

p inserta: *contempnere; dampnacionis* 82, 14; *dampnare; dampnosis* 9, 1; *dampnum; solempniter* 93, 23; *sompnolencia; sompnolentus; sompnum; verumptamen* 409, 9 [3].

p omissa: *absortus* 126, 27, 171, 7; *promsisti* 350, 11.

p non geminata: *oportunitatibus* 423, 23; *oportunis* 262, 1.

s geminata: *pedissequus* 417, 22.

s pro *z: puluerisauero* 159, 28.

t pro *d: dauiticus* 327, 10 [4].

In aliis *A* inconstantiam antiquitatis imitatus variat, qualia sunt:

dextera, dextra; obtinere, optinere; quicquam, quitquam; quicquid, quidquid, quitquid; spiritalis, spiritualis.

Ach et *och* Germanicam produnt originem.

[1] *commoditatis* 26, 25.

[2] Similiter: *milies* 236, 23; *pluries* 17, 19; sed in his ne antiquitas quidem constans fuit.

[3] *verumtamen* 390, 15.

[4] In codicibus Cassiodori, Landolfi, Sedulii, Venantii Fortunati *dauiticus* saepe reperitur.

Restant aliquot compendia: *lr̃a*, *epl̃a*, exitus — *cūque*; quae quomodo solvenda sint, cum per se incertum sit, in primo *tt* praeferendas esse, ex *A 2* discimus, in cuius fol. 28ᵛ = *S II* p. 160, 2, 13 *litteras* plene scriptum legitur.

IIII. AETAS.

Cum in extremo codice *A* (fol. 192ᵛ) haec ipsius Thomae manu minio scripta sint:

Finitꝰ 2 ꝯpletꝰ āno. dn̄i. m̊. CCCC̊.
xl̃i per[1] *maꝰ Frīs thoē Kēp'*
In mōte s agnet' prope[1] *zwoll'*

erunt fortasse qui mirentur, quod in tanta testimonii perspicuitate in aetatem quoque codicis mihi inquirendum esse existimem. At id nequaquam mirandum est; neque enim ad omnes codicis tractatus illa verba pertinent, sed tantum ad ultimum. Quod cum primus *Spitzen Nouv.* p. 137 sqq. intellexisset eque indiciis petitis e serie intervallisque fasciculorum argumentique natura, e foliis vacuis, e scriptura formaque litterarum, ex occupationibus muniisque scriptoris, e signis chartariis, e tractatuum indice, e verbis subscriptionis, e correctionibus plurimis additamentis verborumque transmutationibus quattuor primos tractatus inter annos 1416 vel 1417 circiter et 1420 scriptos esse atque Thomam a Kempis omnium tredecim tractatuum anno demum 1441 finitorum et completorum esse auctorem effecisset, Bernardus

[1] *per* et *prope* per compendia scripta sunt.

Hölscher [1] argumenta Spitzeniana praeter unum ne attingens quidem parum urbane interrogando, quidnam sibi vellent istiusmodi nugae, quaestionem gravissimam profligare se opinatus est. Aequius rectiusque iudicans Ludovicus Schulze [2] Spitzenii argumentationem verisimilem esse dixit. Atque ne gradatio lepidissima desideraretur, Franciscus Xaverius Funk [3] cuius de auctore Imitationis Christi commentatione magis concisam distinctamque his decenniis me legere haud memini, quin quattuor illi tractatus aliquanto ante annum 1441 et quidem circiter 1416—1420 scripti sint idque a Thoma Kempensi eorum auctore, post Spitzenii argumenta dubitari non iam posse adseveravit.

Quem recte adsentatum esse Spitzenio quomodo necessarie demonstrari posset meditanti mihi in mentem venit Bibliis sacris, quorum volumina quinque splendidissima ipsius Thomae a Kempis manu scripta in bibliotheca magni ducis Darmstadiensi adservantur [4], in contentionis iudicium vocatis rem fortasse ad liquidum perduci posse. Neque ea spes me fefellit. Nam cum memor in *A* plerumque falso scriptae vocis *concilii* [5] Adolfum Schmidt, qui illi bibliothecae praeest, per

[1] Cfr. commentarios, quos supra p. 437 adn. 4 attuli, p. 163.

[2] Göttingische gelehrte Anzeigen 1855, p. 620.

[3] Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen, II. Band, Paderborn, F. Schöningh, 1899, p. 425.

[4] Cfr. Centralblatt für Bibliothekswesen, Leipzig, 1896, p. 379–387. Finitum autem et completum est volumen V anno 1427, vol. III 1428, vol. II 1435, vol. IIII 1438, vol. I 1439. Palmi desunt.

[5] Vide supra p. 458.

epistulam rogassem, ut quinque voluminum ternis locis, quos indicaveram, requireret, utrum sententiae convenienter *consilium*, an repugnanter *concilium* scriptum esset, ille, qua est insigni erga me benivolentia, quo operae eventus certior esset, Concordantiis usus Bambergae anno 1740 editis omnium locorum, quibus *consilium* legi debet, evolvendorum laborem sane quam molestum sua sponte et ultro humanissime suscepit. Atque in volumine V repperit viciens quinquiens *c*, semel *s* (Act. 20, 27)[1], in vol. III inter multa *c* unum *s* (2 Mach. 13, 5)[2] iuxta *c* in eodem enuntiato scriptum; contra in vol. II quattuordecim *s*[3] promiscue inter 35 *c*, in vol. IIII *c* quattuor tantum locis (Is. 8, 10; 14, 26; 19, 3. Ez. 13, 9) in vol. I tantum *s*. Vides, quo quodque volumen posterius scriptum sit, eo magis *s* increbrescere, ita ut Thomam in cognoscendo vero paulatim progressus fecisse appareat, dum tandem illud nanctus consisteret. Idque confirmatur *A I* exarato, ut videtur, inter annos 1435 et 1448[4], in quo *consilium* constanter recte scriptum legitur *S II* p. 35, 30; 36, 4; 41, 48; 723, 23;

[1] In editione Concordantiarum Bibliorum utriusque Testamenti Parisiensi (Apud Michaelem Sonnium, M.DC.XI.), qua ego utor, summa exemplorum paululum differt; voluminis enim I est: 11, vol. II: 51, vol. III: 92, vol. IIII: 40, vol. V: 27.

[2] Immo lege: 2 Mach. 14, 5.

[3] 4 Reg. 6, 8. 1 Par. 12, 32; 13, 1. 2 Par. 10, 6 (bis); 10, 8; 10, 13; 20, 21; 25, 16; 32, 3. 1 Esr. 4, 5; 4, 7; 4, 17; 5, 3.

[4] *Hirsche* II 279 Sermones ad novicios censet ante annum 1435 scriptos esse non posse, p. 325 vitam Lidewigis (haec duo scripta in *A I* insunt) non ante exactum annum 1448.

748, 24. Quid quod annis vertentibus Thomas *s* adeo adamasse videtur, ut in *A2* finito et scripto anno MCCCCLVI vel ibi, ubi *c* scribendum erat, in contrarium vitium delapsus his locis *reconsiliare* vel *reconsiliacio*[1] scripserit: *SII* p. 147, 2, 43; 174, 2, 22; 200, 27; 202, 47; 209, 23. 35. 36; 210, 2, 31; 214, 2, 21; 234, 15; 240, 2, 34? His perversis ibid. p. 225, 2, 47 rectum adiungitur *consilium*.

Quid multa? Exemplorum natura, vis, ipsae summae per se et pro se loquuntur, neque hanc scripturae discrepantiam aliter quomodo explanem habeo, nisi ut Imitationis certe libros I, II, IIII, in quibus non nisi *concilium* legitur, ante Biblia Darmstadiensia scriptos esse statuam. Quod si quis aliam interpretationis viam investigaverit, eam si nobis commonstrare voluerit, magnam a nobis gratiam inibit.

Age vero de ceterorum tractatuum aetate quid sentiamus? De qua quid Victor Becker, vir praestanti ingenii acumine, a. d. VIIII Kal. Nov. anni MDCCCLXXXXIII ad me scripserit, ex epistula eius Batave scripta eo magis libet in Latinum versa hic referre, quod ibidem etiam de loco tertii tractatus, qui in codicibus fere omnibus quartus esse solet, non neglegenda quaedam coniectantur:

In codice, inquit, Bruxellensi, quod est archetypon, tractatus leguntur temporis, quo compositi sunt, ordine servato. Sed cum quattuor (de imitatione Christi) trac-

[1] In *A* 243, 9 recte *reconciliatur* exhibitum est.

tatus una edere placuisset, de sanctissimo sacramento tractatum ut commentationem propriam et suum quasi orbem conficientem praestare intellectum est postremo loco poni. Quo factum est, ut ita conlocati sint in libris, quibus quattuor illi tractatus continentur, vetustissimis, Gaesdoncano et Noviomagensi, qui utpote paene eodem tempore locis diversis confecti fieri non potest ut ambo [1] ex ipso autographo Bruxellensi descripti sint, sed propter consensum cum Bruxellensi paene absolutum ex exemplaribus diligentissime ex illo factis descripti sint necesse est. In Lovaniensi quidem Thomae autographo liber quartus, qui ibi inperfectus [2] mansit, postpositus erat; in Harenensi [3], quem ex autographo descriptum esse certum est, tredecim tractatus eodem, quo in Bruxellensi, ordine leguntur.

Haec Becker, quibus scripturae *concilium* et *consilium*, de quibus supra p. 458 et 462 sq. diximus, excepto tractatu duodecimo (p. 399—418), qui est de elevatione mentis, non refragantur; quatenus litterarum ductibus tabularum photo-

---

[1] *B* mea quidem sententia ex *A* transcriptus est; vide infra p. 475.

[2] Cfr. infra p. 473; *R I* p. 455 (p. 80 ed. 1621): ‚Louaniensis S. Martini manuscriptus tres libros tantum exhibet, primum, secundum, & tertium'; *Santini* II 220 et *Puyol Descr.* p. 271 ex actis conventus Parisiensis anni 1681: ‚Autographus Lovaniensis in quo extat 1º Soliloquium animae, dein tres primi de Imitatione libri: postea tractatus de elevatione mentis ad inquirendum summum bonum. Sequitur brevis ammonitio spiritualis exercitii, tunc tractatus de sacramento, cuius tantum conscripta praefatio est; servatis duodecim foliis vacuis, quibus auctor caetera exararet. . . .'

[3] *Becker* p. 207.

graphicarum huic editioni adiectarum confirmentur, rei palaeographicae periti viderint.

V. AVCTOR.

Etsi famosissimam illam de auctore Imitationis Christi controversiam iam inde ex his tribus paene saeculis cum magna doctrinae subtilitate tum vehementi partium contentione agitatam in octavo demum huius editionis volumine Deo adprobante testimonia conquirentem, augentem, diiudicantem tandem aliquando dirempturum me esse spero, tamen argumentum quoddam a codicis *A* habitu arcessitum, sed partim adhuc neglectum, partim parum solide acuteque disceptatum legentibus iam hic proponere liceat. Quod quale sit quo facilius intellegatur, infra tabulam ponam codicum mutationes mutilationesque, quarum partem iam supra contuli, adscriptis generum numeris inlustrantem, ad cuius notas numerosque explicanda haec praemitto:

In paginula I codicum, quos supra p. 436 sq. enumeravi, notae positae sunt, quibus addidi *O*, id est codicem Aquensem 49, foliorum 211, praeter Caesarii Heisterbacensis Dialogi miraculorum [1] dimidiam partem alteram, inde a folio 154 Thomae a Kempis Sermones ad nouicios continentem et *K*, qua littera Biblia Darmstadiensia [2]

[1] Iosephus Strange, qui Dialogum Coloniae sumptibus I. M. Heberle MDCCCLI edidit, in praefationis p. v codicem sero ad se transmissum in ultimis tantum plagulis excutiendis adhibere sibi licuisse queritur.

[2] Vide supra p. 462 sq.

designo; in paginula II numeri locorum in margine, in III inter versus scriptorum, in IIII transmutatorum, in V deletorum, in VI foliorum excisorum, in VII foliorum ad unum omnium. Litterulis *a* et *b* codicis *A* tractatus I—IIII et V—XIII ita distingui volui, ut *a* ad illos, ad hos *b* referenda esset. Sed ecce tabulam.

I	II		III		IIII		V		VI		VII	
	a	*b*	*a*	*b*	*a*	*b*	*a*	*b*	*a*	*b*	*a*	*b*
A	60	62	41	7	50	30	33[1]	19	28	8	119	73
A1	16		3		13		3		36[2]		166	
A2	19		5		24		11		11		122	
N	12		9		2		39		0		172	
B	20		38		13		6		1		144	
C	6		18		31		71		0		119	
O	6		17		24		12		0[3]		58	
K									3[4]		1028	

[1] Operae pretium videtur adnotare mutationum in *A* numerum sub paginulis II—V comprehensarum in tractatibus I—III pro foliorum numero paene altero tanto maiorem esse quam in tractatu IIII (= lib. III De imit. Christi).

[2] Cum anno MDCCCLXXXXVII codicem *A1* Kempas mihi missum conferens ad folia excisa animum non attendissem — ars videlicet codices conferendi non cum homine nascitur, sed magno labore et exercitatione discitur — Renatus Maere bibliothecarius Lovaniensis roganti mihi, dum haec epilegomena scribo, folia in singulis *Sermonibus ad novicios* excisa — nam in *Vita Lidewigis* praeter unum folium ante primum excisum integra sunt — grato obsequio indicavit. De magno praeterea numero scidularum inscriptarum primisque *Sermonum ad novicios* foliis et ipsis inscriptis adglutinatarum, de quibus in volumine VI uberius disserendi locus erit, cfr. interim *Hirsche* II 203 sqq.

[3] Inter fol. 105 et 106 scidula conspicitur folii excisi.

[4] In vol. III singula folia excisa sunt inter fol. 22/23 et fol. 75/76, in vol. V inter fol. 110/111; in voll. I, II, IIII

Verum quorsus haec? Hodie quoque esse constat, qui *A* non auctoris, sed librarii Thomae opus esse contendant. Quorum opinioni ipsa illa mutationum in *A* longe maior quam in ceteris codicibus multitudo refragatur. Nam cum Thomam et aliorum et ipsius testimonio scribendi arte insignem fuisse compertum habeamus [1], creberrimas illas mutationes nonnisi studio auctoris, quale scribentes et ipsi usu fere docti tenemus, ingenii sui fetus usque perpoliendi atque conficiendi explicari non posse mihi persuasum est. Quod si de hac re antea cum aliqua probabilitatis specie ab aliis aliter iudicari fortasse potuit, quid posthac iam de foliis excisis, ad quae nondum quisquam, quod sciam, attendit, dicturi sint, suspenso sane animo expecto. Mihi quidem haec res unice sic enodari posse videtur, ut Thomam plurima addentem, mutantem, delentem sicubi folium aliquod vidisset adeo perlitum esse, vix ut ipse legere posset, id excidere unam medicinam esse ratum in sordidi locum novum transcripsisse credamus.

C. DE HVIVS EDITIONIS RATIONE.

Novam Thomae a Kempis operum omnium editionem parare neque supervaca-

nihil excisum est, cuius rei notitiam Adolfi Schmidt officio prorsus amabili acceptam refero.

[1] Cfr. *Pohl Handschr.* p. 320—323, ubi cum de hac re fusius egerim, tum testimonium Adolfi Schmidt *K* paucis exceptis accuratissime scripta esse adfirmantis attuli.

neum neque inutile esse iudicavi ultimam [1] anno 1759 prodisse reputans propter exemplarium raritatem neque satis facile parabilem et critica ratione huius aetatis hominibus doctis nequaquam satisfacientem. Quibus vereor ut vel peculiares editiones De imitatione Christi librorum ad *A* factae probentur. Quod ne temere dixisse videar, sufficere arbitror, si numeri lectionum, quibus editiones, quas supra p. 437—439 descripsi, ab *A* discrepant, hic indicentur. Atque ab *A* recedunt *SII* locis 190, *SIII* 181 [2], *S3* 137, *R1* [3] 62, *D* 38, *R2* 25, *P* 76 [4], *H* 20 [5] mendis typographicis et erroribus mere orthographicis non numeratis.

Atque ne sicubi *H* lectiones cum meae editionis comparans in diversam incideris, utra genuina sit, dubius haesites, primum

---

[1] Opera Omnia a Francisco Xaverio Kraus Augustae Trevirorum in aedibus Ed. Groppe MDCCCLXVIII edi coepta, in quorum praefatione p. VI fatetur „libros manu scriptos ut denuo inspicere et conferre posset, certe fuisse desiderium suum: quod tamen pluribus ex causis fieri non potuisse nec plane necessarium visum esse", volumine primo absoluto continuari desita esse neutiquam dolendum est.

[2] Est profecto, quod primo obtutu mirere, in *S III* falsarum lectionum numerum maiorem esse quam in *S3*, quae annis octo ante in lucem prodierat. Qua re sententia Victoris Becker p. m., cuius in programmate gymnasii Kempensis 1895 p. XX mentionem feci, comprobatur conicientis in *S III* curanda partes fuisse Sommalii tunc iam octogenarii omnino nullas. Ac ne quid dissimulem, *S II* rectis in *S2* lectionibus haud raro falsas in *S1* lectiones praeferre notandum est. Contra interdum evenit, ut *S1* rectam lectionem habeat, *S2* et *S3* pravam.

[3] Vides, *R1* verum numerum ne aequasse quidem, cum p. 475 [p. 94 (1621)] se postremam Sommalii editionem paene centum locis ad auctoris calamum revocasse scriberet.

[4] Is numerus etiam augeretur, si *P* accuratius conferendi otium mihi suppetivisset.

[5] Editio recentissima a Michaele Hetzenauer Oeniponte typis et sumptibus Feliciani Rauch 1901 ad *H* et *F* adornata ab *A* duodecicns dissentit.

locos XX, quibus illum erravisse modo dixi, hic ita congeram, ut iuxta lectiones *A* Hirschianas uncinis inclusas scribam iisque e speciminibus in *Hirsche* vol. II editis memorabiles aliquot errores subiungam. Sunt autem hi:

*[1]4, 6 *prudencia (providentia)*; *24, 3 q̊ id est *quae (qui)*; 32, 2 *accepit (accipit)*; *33, 30 *"offendisti "deum*[2] id est *Deum offendisti (offendisti Deum)*; *34, 19 *in feriatis*[3] *(feriatis)*; 60, 29 *sicut in*[4] *(in)*; *61, 20 *nil (nihil)*; 81, 8 *Raro inuenitur*[5] *tam (Raro tam)*; *90, 18 *sunt (sint)*; 94, 26 *cantari (cantare)*; 127, 30 *meo totaliter (totaliter)*; 146, 6 *omnem (omnium)*; *160, 22 *quam (quod)*; 172, 16 *illud sicut (illud et sicut)*; *179, 12 *quamlibet (quantumlibet)*; 185, 16 *te (et)*; *189, 16 *ex (te ex)*; *235, 13 *"abnegare "se*[6] id est *se abnegare (abnegare se)*; *250, 1 *captiuam (captivum)*; *262, 1 *oportunis*[7] *(opportunius)*; 302, 23. 24 *consilium: et cum discrecionis moderamine. obedienciam (consilium: obedientiam)*; 403, 13 *super (supra)*; 404, 12 *deus: sicut (Deus est: sicut)*, 20 *loquitur videlicet (loquitur:)*; 409, 10 *misericordiam tuam (misericordiam)*.

Errorum typothetae numerus in *H* aequo maior est; quibus enumerandis etsi bonam chartam, quandoquidem plerique illorum a legentibus nullo negotio corrigi possunt, perdere nolui, tamen certe

[1] Asteriscum iis locis praefixi, quibus Hetzenauer *H* male secutus est.

[2] Vide supra p. 452.

[3] Vide supra p. 449.

[4] Vide supra p. 449.

[5] Vide supra p. 449.

[6] Vide supra p. 452.

[7] Vide supra p. 460.

nonnullos inprimis molestos, qui ex quo fonte manaverint, dubitari possit, hic rectis iuxta inclusis proponam:

25, 20 *cite (cito)*; 54, 10 *novicum (nocivum)*; 67, 10 *esse (esset)*; 71, 23 *et (es)*; 77, 8 *fit ed (sit ad)*; 87, 9 *quum (quam)*; 100, 18 *magnam (magnum)*; 105, 18 *noa (non)*; 115, 14 *libertationem (liberationem)*; 119, 3 *suam (suum)*; 128, 18 *accedentiam (accedentium)*; 130, 6 *de (te)*; 141, 41 *sit (sint)*; 153, 19 *Amen (Amem)*; 163, 15 *undo (unde)*; 173, 9 *er (et)*; 226, 2 *vei (vel)*; 242, 15 *Domini (Domine)*; 246, 8 *resistet (resistit)*; 247, 10 *vivat (vitat)*; 400, 2 *que (quo)*; 401, 18 *cursus (rursus)*; 422, 28 *qu (qui)*. Falsis denique in *H* interpunctionibus enumerandis supersedeo. Sed satis superque; ac ne haec quidem Hirschii, quem per longum tempus gravissime ex oculis laboravisse scio, vituperandi causa protuli, sed legentium, ne de lectione codicis *A* dubitantes in errorem ducerentur, monendorum causa. Eademque de causa eum addo mira quaedam et auditu incredibilia interdum affirmare velut *Hirsche* II 41, ubi Sommalium *vis nesciri* 365, 6. 7 mutavisse in *non vis sciri* insimulat iniuria, quippe cum illud ipsum *non vis sciri* in *A* legatur. Itemque quod II 53 eundem vituperat, quod 386, 6 [1] *esse* falso exhibeat pro *omne*, editionibus Sommalianis I, II, III, IIII, VIII (1728) cum *A esse* exhibentibus inprobatur, et quod 387, 3–5 prorsus omiserit verba *non est — libenter mori*, hoc cadit quidem in editiones VIII et VIIII (1759), non cadit in I, II, III, IIII (Duaci, M. DC. XXV).

[1] 386, 7 *Hirsche* II 50, 22 perperam legit *Christo* pro *ipso*.

Horum omnium mendis vitatis id unum egi, ut archetypum summa religione ederem. Id quomodo recte instituere mihi visus sim antequam exponam, duabus quaestionibus gravissimis lumen adferendum esse video: uni, num *A* unicum autographum tredecim tractatuum, qui eo continentur, habendum sit, alteri, utrum mutationes illae, quas supra p. 449—454 enumeravi, ab ipso Thoma, an posterioribus temporibus a falsariis nescio quibus profectae esse existimandae sint. Et priorem quidem quaestionem mihi non liquere fateor. Res sic se habet: Sommalius in „*epistola dedicatoria*“ [1] ad Leonardum Bettenium d. „*Louanii, 1598. Kal. Januarij*“ haec scribit: „*En habet a me T. R. P.* [2] *... aureolum religiosissimi viri Thomae a Kempis libellum.... Hunc ego, dum bibliothecam Canonicorum Regularium D. Martini Louanij perlustro, in ea ... authoris manu scriptum (quod Graeci αὐτόγραφον dicunt) ... reperi.*“ [3] Quae autem ibi paulo inferius addidit verba: „*Quae omnia, bona fide restitui ex autographo scriptoris, quod nuper, Dei beneficio, in manus nostras venit*“, ea non ad Lovaniensem codicem, sed ad *A* pertinent. Ceterum duos Sommalium codices Lovanii repperisse efficitur verbis, quae in altera eius „*epistola dedicatoria*“ [4] ad eundem Bettenium „*Gandaui, 1600, die 25 Martii*“ scripta leguntur, his: „*Nactus sum, Deo*

[1] Legitur in *S1, S2, S3, S I, S II, S III.*
[2] *Tua Reverenda Paternitas.*
[3] De codicibus Lovaniensibus cfr. *Puyol Descr.* p. 269 274.
[4] Legitur in *S I, S II, S III* itemque in editione IIII.

Opt. Max. conatui nostro fauente, apud Viros optimos, D. Martini religiosos Louanii, cum bibliothecam eorum lustrarem, duos huius authoris Tomos, & quidem propria eius manu conscriptos, iuxta syngraphum & testificationem plurium Patrum eiusdem ordinis.

In quam partem haec ultima verba accipienda sint, discimus e § II *Certissimorum Testimoniorum*, quorum secundum in *R2* sic habet: *Louanij apud Martinienses etiam seruatur codex in 8. trium librorum de ‚Imitatione Christi', quarto omisso, alijs eius Opusculis in medio insertus; quem Ioannes Vlimmerius, illius olim monasterij Prior, testatur se ante multos annos accepisse a Fratribus Montis S. Agnetis; qui affirmabant cum manu Auctoris Thomae a Kempis scriptum, vti per traditionem continuam a maioribus suis eiusdem monasterij Fratribus acceperant.*

Atque illam testificationem apertum est adprobari a *R1* p. 395 sq.[1] haec scribente: *Nec codex Louaniensis S. Martini [Antverpiensi, id est A] antiquitate cedit, qui eiusdem auctoris manu scriptus est; quod & idem character, eaedem abbreuiationes, & idem per omnia contextus manifestissime probant;* et p. 345[2]: *Ad duo igitur autographa libellos hos rursus comparaui, superflua resecui, suppositicia remoui, male contorta reposui, et ex eorum concordi fide omnia expressi.*

Haec virorum summorum argumenta etsi non nego magnam prae se ferre pro-

[1] = p. 40 (1621).

babilitatis speciem, tamen quominus plane adsentiar duplici prohibeor scrupulo: Deerat in codice subscriptio, tractatuum nec numerus plenus erat et ordo mutatus. Sed utut res habet, nullius momenti est; nam et Rosweydus eundem [atque *A*] per omnia contextum fuisse disertis verbis testatur, neque illum id falso testatum esse arbitror ullo modo posse demonstrari.

At enim, inquies, isti sententiae frequens editionum Sommalianarum ab *A* dissensio obstat. Audio, sed eam difficultatem facile sublatum iri confido. Etenim Sommalium ab *A* discedentem saepissime cum Ascensio [1] ita consentire observavi, ut aut hunc ex illo pendere, aut utrumque ex eodem fonte hausisse concludamus necesse sit.

Quorum utrum factum putemus, quamquam evincere multis difficultatibus obstructum est nec nisi duobus codicibus quibusdam, uno Gandavensi, altero, si quidem umquam fuit et adhuc est, Suessionensi conlatis perspici explorarique poterit, id quod ex parte certe nobis iam investigatum in volumine octavo, quod de vita et scriptis Thomae futurum est, speramus fore ut legentibus persuadeamus, tamen iam nunc pro certo adfirmare possumus, editionem Ascensianam magnam partem aptam esse ex Norimbergensi

[1] *Opera Thomae a Campis cognomento Malleoli, viri prientissimi & religiosissimi sub Canone diui patris Augustini, aucta & diligentius recognita, suaque serie reposita vt in huius patebit tergo: Prelum Ascensianum. Vaenundantur Iodoco Badio Ascensio.* In fine fol. CXCI^{v} legitur: *E chalcographia nostra ad Idus Iunias. MDXXIII.* [Parisiis]. 2°. 8 et 191 folia. [*Backer* 2893, *Fromm* 22.]

anni 1494 [1], Norimbergensem ex omnium antiquissima, quam, etsi loci, anni typographique notatione careat, Traiecti ad Rhenum circa annum MCCCCLXXIII typis Nicolai Ketelaer et Gerardi de Leempt prodisse constat [2].

Sequitur, ut de fide additamentorum mutationumque, quae in *A* occurrunt, dicamus. Quae fides, licet a Thomae adversariis vehementissime inpugnata sit, facillima est ad probandum. Nam quin maxima certe pars vocabulorum vel in margine vel inter versus scriptorum auctoris manui debeatur, cum propter atramenti tum litterarum ductuum aequalitatem nulla dubitatio est, evanidis autem et tenuibus litteris scripta quaedam et ipsa indidem oriunda esse etiamsi per se eadem confidentia confirmari non possit, tamen hac de causa pro certo dixeris, quod iam in *NBC*, qui artissimo cognationis vinculo cum *A* cohaerent [3], paucis exceptis in orationis contextu leguntur, ita ut illa iam annis 1427 [4] et 1431 [4] in *A* fuisse perspicuum sit.

Sed iam examinemus pauca illa additamenta, quae in tanta exemplorum

---

[1] *Ludovic. Hain, Repertorium bibliographicum. Stuttgartiae et Lutetiae Parisiorum, MDCCCXXXI, vol. II part. I n°. 9769, Backer* 2890, *Fromm* 21.

[2] *Hain* 9768, *Catalogus librorum saeculo XV° impressorum, quotquot in bibliotheca regia Hagana asservantur. Edidit Ioh. Guil. Holtrop. . . . Hagae-Comitum, Martinus Nijhoff. MDCCCLVI. 8°. I n° 31, Backer* 2888.

[3] Propter verba quaedam omissa fieri non potest, ut *A* ex *B* transcriptus sit. Exempli gratia adnoto deesse in *B* 55, 8 *parum loquuntur*, 75, 6 *a Deo*, 162, 19. 20 *Sed quid es amantibus; quid toto corde tibi servientibus.* Contra nihil obstat, quin *B* ex *A* transcriptus sit.

[4] Aetatis *N B* (1427) et *C* testes sunt ipsorum subscriptiones.

copia[1] codicum *NBC* consensu sunt destituta. Sunt autem haec: 11, 2 *esse*, 36, 18 *ipsius*, 60, 29 *sicut*, 153, 12 *totus*. Quid igitur? Non si illa verba, id quod negari non potest, anno 1431 in *A* nondum erant, sequitur, ut non ab ipso Thoma postea addita sint. Neque enim in *A*, quem scimus usque ad annum circiter 1577 in monte sanctae Agnetis esse servatum ad id tempus quicquam ab alio mutatum esse credibile est; exeunte autem saeculo sexto decimo illa verba in *A* iam addita fuisse testis est *D*; idemque inter *A* et *D* consensus est 97, 22. 23, ubi in *BNC* ordo verborum *exhibetur homini* et 121, 8, ubi *me potest res* est. Alios quoque codices eadem verba excepto 36, 18 *ipsius* exhibere videsis apud Puyol, Variantes du livre De Imitatione Christi, Paris, M DCCC XCVIII pp. 87, 182, 253, 408, 427 sq., quorum exemplorum numerum, si necesse sit, ex meis conlationibus possum augere. Sed ad rem etiam magis patefaciendam et inlustrandam quaedam ex *NBC* potissimum petita addidisse satis erit.

Et suo quidem genere singularis locus est 33, 29. 30, ubi G^2NCV^3, nisi quod in *V*

[1] Vide supra p. 449—454.

[2] Sumpsi hanc lectionem codicis *G* 9 509 Guelferbytani scripti anno 1424, de quo vide *Hirsche* I 99—101, II 418. 421, III 174—181 ex apographo Caroli Hirsche, quod vidua eius bibliothecae gymnasii Kempensis cum alia supellectile litteraria coniugis ad Thomam pertinente donavit. Ipsum codicem ut oculis lustrarem, multa molito mihi non contigit.

[3] De hoc codice nunc Bruxellensi 1020, qui scriptus est Osnaburgis anno 1429, cfr. *Hirsche* III 194—196. Ceterum in *G* quoque et in *V*, in quibus Thomae de imitatione Christi librorum tantum primus inest, 11, 2 *esse*, 36, 18 *ipsius* desunt.

pro *forsitan* legitur *forsan*, cum *A* faciunt, *B* habet: *deum forsitan sepius offendisti*, id est: *forsitan Deum saepius offendisti*, *D*: *saepius forsitan offendisti Deum*, similiterque memorabiles sunt 44, 7, ubi *GN* ab *A* stant, *BC potest eciam* habent, *D potest etiam*, et 123, 4, ubi *CD* cum *A* consentiunt, *B illius manus*, *N ille manus* habet. Atque ut huius farraginis congerendae laborem hic uno tenore paene exanclemus, haec adicio, ex quibus discrepantia lectionis non solum ipsa additamenta ordinemque verborum, sed etiam latius grassata non raro verba finitima infecta esse appareat: 6, 18 *statum ABD*, om. [1] *GNVC*; *postmodum grauiter oportet AGVCD*, *postmodum oportet grauiter N*, *grauiter postea oportet B*; 34, 19 *in ANV*[2]*D*, om. *GBC*; 45, 29. 30 *vita tua AGBVC*[3]*D*, *tua vita N*; 46, 22 *sunt dies*[4] *ABCD*, *dies sunt N*; 46, 29 *poteris*[5] *AGBCD*, *posses N*; 81, 8 *inuenitur ABCD*, om. *N*; *spiritualis ABD*, *spiritalis NC*; 85, 7 *sponte se illi ABCD*, *sponte illi se N*; 94, 23 *rex dauid ABCD*, *dauid rex N*; 97, 2 *sanctissimum ABCD*, *sacratissimum N*; 115, 15 *et ABCD*, om. *N*; 115, 18 *eciam (etiam D) tibi ABCD*, *tibi eciam N*; 116, 24 *illos nequicia (nequitia D) sua ABD*, *sua nequicia illos N*, *eius nequicia* (om. *sua*) *C*;

[1] = omiserunt. [2] Ibid. *cenatis* pro *feriatis V*.

[3] In *C* inter *aliter* et *sentire* verbum *venerit* e versu 28 repetitum minio deletum est.

[4] 46, 22. 23 *nunc sunt dies salutis: nunc tempus acceptabile* om. *GV*.

[5] 46, 28. 29 *de quanto periculo te poteris liberare* om. *V* oculis aberrantibus; nam haec verba in propositis codicis *V* fuisse ex eo elucet, quod *V* 46, 29 pro *de quam* habet *de quanto* litteris *to* deletis.

119, 20. 21 *corpus christi et sacra scriptura maxime sint ABCD, sacra scriptura et corpus christi maxime sit N;* 124, 11 *et ABCD,* om. *N;* 135, 4 *audit eum gaudio ACD, audit eum cum gaudio BN;* 184, 6 *ne ANCD, non B;* 196, 12 *sed ANCD,* om. *B;* 218, 21–24 *unde — creatura,* om. *N* (errore oculorum); 233, 8 *sint ABCD, sunt N;* 252, 5 *sufficit ABCD, sufficiat N.*

Ex omnibus his locis duo praeterea efficiuntur, neque omnia additamenta a librariis eadem aut diligentia animadversa esse aut accuratione descripta, et ne pallidius quidem atramentum, quo haud ita pauca eorum exarata sunt, per se quicquam iustae dubitationis habere [1]. Atque ut memoria viri de Thoma optime meriti mihique dilectissimi huius loci finem faciam, dubito an Victor Becker, qui ante hos decem annos in epistula suo more humanitatis et doctrinae plena mihi scripsit 36, 18 *ipsius* et 60, 29 *sicut* non a Thomae manu profecta esse sibi videri, si hanc disputationem legisset, in sententia sua perseveraturus non fuerit.

Si cui in hac prolusione iusto fortasse longius moratus esse videar, hoc semel dictum volo, cum aliorum rationes adferentem ac refutantem tum meas exponentem atque confirmantem malle me in putidae diligentiae crimen incurrere hac in re a me dissidentium, quam superciliis sublatis hariolantem, quo vix quicquam his

[1] Cuius rei insigne exemplum est 12, 11 *fuerit,* pro quo in *A* compendii signo evanido suppallide scriptum legitur *fuit,* in *GNBCD fuerit,* quod in G post *subiectior* positum, in *V* omissum est.

litterarum studiis indignius esse iudico, exemplo aemulari argumentis non firmata effutientium. Itaque hoc unum mihi propositum erat, ut Thomae archetypum quam fidelissime repraesentarem, atque ita quidem, ut expectationi et asceticorum et philologorum responderem. Quae proposita inter se aliquantum contraria ita consequi studui, ut et quaecumque nil nisi pietatis adfectus in legendo sectantes turbare possent, e contextu orationis tollerem, neque quicquam mutarem, cuius non in epilegomenis aut in adnotatione critica accuratissime ratio redderetur. In quibus quae non leguntur, pauca quaedam hic addenda sunt.

Atque primum quidem quod ad scribendi rationem sive orthographiam, quae dicitur, attinet, haec duo secutus sum, primum ut codicis *A* scripturas ipsius antiquitatis ultimis utique temporibus usitatas, dummodo omnino Latinae essent, tenerem, deinde ut medii demum aevi inscitia fictas sine venia expellerem. Vt exemplo utar, diu multumque et ipse et per alios scrutatus, qui *intelligere* et *negligere* vel senescentis imperii Romani barbariae probata ostendere posset, inveni neminem. Quae etsi me cum multorum adsensu retenturum fuisse probe scio, tamen idem non video, cur *abhominande, diffinicionem, ebitudo, elemosina, habundancia, homoncionem, obediencie, penitencie, solempniter, ymago* similiaque monstra, etiamsi a nostris editionibus nunc quidem fere exulent, non item. Quod profiteor nihil curans vituperatio-

nem eorum, qui suam cuique scriptori orthographiam ne litterula quidem mutata servare religiosi editoris esse contendunt. Atque ne quaedam diverse me scripsisse mirere, veluti *obtinere, optinere, quidquid, quicquid,* alia, id feci exemplum secutus codicis *A* et ipsius antiquitatis neutram illarum scripturarum inprobantis[1]. Eademque de causa non horrui inaequalitatem quandam interpunctionis plerumque consulto et cogitate, opinor, a Thoma admissam[2], veluti virgulas, si e nostra consuetudine iudices, arbitrarie nunc additas nunc omissas, quas ad *A* expressi, simul hoc spectans, ut tandem aliquando in his quoque quisquiliis de archetypi memoria constaret. Ceterum moneo satietati legentium occurrentem me pro flexa (?)[3] a nostro usu aliena constanter

[1] Vide supra p. 460.

[2] Quod *Denifle* VII 743 causae Thomae infestissime adversari sibi videri dixit ipsam autographi interpunctionem, id claro firmoque codicis G^4 48 seminarii clericalis episcopi Monasteriensis saeculi XV altero dimidio scripti testimonio nixus refutasse mihi videor in programmatis supra p. 469 prolati p. VIIII. Corollarii instar hic inserere liceat, quod supra p. 444 et 468 addere per incuriam neglexi, indices capitulorum de imitatione Christi post confectos demum singulos tractatus a Thoma adscriptos esse. Quod primum ex eo conicio, quod, cum ipsa prima tractatuum capitula a primis fasciculorum plagulis incipiant, indices aut in plagulis praefixis, id quod factum est in tractatibus primo et quarto, aut in ultima pagina vacua relicta fasciculi praecedentis, uti habes in tractatibus secundo et tertio, scripti sunt, deinde quod indicis tertii tractatus, qui vulgo dicitur de imitatione Christi liber quartus, capitula XIIII, XVI, XVIII inopia spatii ne a novis quidem versibus incipiunt. Quae res gravissimum testimonium est tractatuum illorum a Thoma compositorum. Nam merum librarium eo scribendi ordine usurum fuisse nihil est, quod credamus; ipsum auctorem ita rem instituisse, qui opus ordiens fortasse ne sciret quidem, quot quisque tractatus capitula habiturus esset, facile est intellectu.

[3] Vide supra p. 447.

scripsisse semicolon (;) itemque pro puncto ante minutam litteram virgulam (,) et in fine enuntiatorum ante grandem, etiam ubi in *A* deest [1], aequabilitatis causa punctum. Cetera quam paucissimis transigam.

In *A* minio scripta itemque, licet in *A* praeter primas enuntiatorum litteras omnia vocabulorum principia minutis exarata sint, nomina propria reverentiaeque causa ad numen divinum pertinentia, qualia sunt *Deitas*, *Deus*, *Dominus*, *Filius*, *Pater*, *Salvator*, *Spiritus sanctus*, *Trinitas* rell. grandibus litterarum formis describenda curavi, atramento scripta, subter quae linea rubra ducta est, inclinatis [2], quae ego addidi, uncinis inclusa.

Huc pertinet titulus quoque quattuor primorum tractatuum nunc vulgo receptus: *De imitatione Christi libri IIII.* Nam neque in *A* neque in codicibus vetustissimis certa temporis nota distinctis aut titulus ille generalis aut singulorum tractatuum numeri: *primus*, *secundus*, *tertius*, *quartus* [3] reperiuntur, et in permultis codicibus non nisi singuli tantum tractatus pluresve multa copulati varietate extant. Ex quo conficitur, id quod tractatus tertii et quarti in *A* conlocatione atque spatii separatione confirmatur, ut quattuor illi tractatus primo ex se ipsis apti paulatim

[1] Vide supra p. 448 sq.

[2] 152, 6 pro IESV describendum erat *Iesu*.

[3] Primum illa numerorum designatio mihi occurrit in codice Monacensi Clm 7842 anno 1437 e paulo antiquiore Monacensi Clm 7830 descripto; cfr. *Pohl Handschr.* p. 334.

in unius libri corpus coalescere coeperint[1]. Quae cum ita sint, neque cum Rosweydo[2] in re tam vulgata nihil inmutare neque cum *D* et Hetzenauero codicem *A* nihil addens simpliciter exprimere volui, sed ne apud lectores tralaticio titulo ordineque adsuetos offenderem, mediam quandam viam ingressus codicis *A* memoriam ita retinui, ut inscriptiones usitatas et singulis libris uncinis inclusas praeponerem et in summis singulis paginis repeterem.

Litterae *C* et II, de quibus supra p. 447 dixi, in hac editione omissae ubi in *A* legantur, passim novo versu indicavi.

In ipso orationis contextu constituendo ut meum non erat Thomae soloecismos emendare, quales exempli gratia sunt 6, 26 *illic*, 161, 28 *rehabere*, 301, 24 *lassus*, aut menda socordia neglegentiaque orta velut 4, 6 *prudencia* iuxta 11, 19 *prouidencia* tollere, ita meros calami errores, quales sunt 133, 6 *combures*[3] et duae dittographiae[4], corrigere non dubitavi.

Distinctiones Hirschianas, quibus consonantes inter se versiculorum clausulas quasi ante oculos exprimi voluit[5], sequi mihi visum non est his tribus de causis: Primum versiculi in *A* non illo modo distincti, sed continui sunt; deinde magna versuum pars extremis syllabis aut omnino non consonat aut tam leviter, ut concentus aurium iudicio haud facile per-

[1] Vide supra p. 464 sq. Contra sentit *Puyol Variantes* p. 24—61.
[2] *R I* p. 454 sqq.
[3] 114, 4 *A* recte habet *comburas*.
[4] Vide supra p. 454.
[5] Cfr. *Hirsche* I 123—215.

cipiatur [1], velut 5, 8 *tenebris — Dominus*, 51, 9 *efficit — faciet*, 6, 4. 5 *disputare — Trinitati;* denique distinctiones illae supervacaneae atque inutiles sunt, quippe cum „singuli versus eorum quibus Thomas in distinguendo uti assolet signorum aliquo finiantur“ [2]. In mediis versibus Hirschianis illas distinguendi notas addo rarissime inveniri, velut 16, 16 *habent:*, 77, 6 *inquit:*, in extremis rarissime deesse velut 78, 21 *gratiam*

Neque hic taceo numerorum notis I, II, III, IV, V, VI, VII loco litterarum *C* et II, quae in *A* sunt, maiores capitulorum partes Hirschium saepissime etiam iis locis signari voluisse, quibus archetypi auctoritate non nitantur; quae quatenus argumenti discriptione commendentur necne, anquirere huius loci non est [3].

Atque huic disputatiunculae iamiam finem inpositurus mihi quosdam nimium fretos *F* autographi auctorem propter lacunas non expletas, editores vel descriptores propter non indicatas calidius quam callidius vituperasse occurrit secum non considerantes imagine rei lucis opera expressa numquam plus repraesentari posse, quam res ipsa habeat, saepe luce deficiente repraesentari minus. Qui ne

---

[1] Latissime patere apud *H* clausularum consonantium notionem dicit B. Hölscher in Theologisches Literaturblatt VIIII, Bonn 1874, 153, prorsus inprobat ibid. p. 501.

[2] *H* p. xv.

[3] Sibi repugnans Hirsche libri III capitulum 21 tripartito (I 1—70, II 71—75, III 76—94) divisit; in argumento subiecto dispositionem capituli a Thoma ipso indicatam esse recte dicens alteram partem a versu 34 (huius editionis p. 183, 20) incipit, ubi in *A* habetur C. Neque p. 48, 26, ubi in *A* C est, numeri notam adscripsit.

in posterum errare pergant, haec, quae infra scripsi, illos monitos velim in *F* aut excidisse aut parum plena minusque clara esse, licet in *A*, ac Thomae quidem manu scripta, legantur: 5, 11 *more.* pro *mores* (*s* valde diluta est, sed quae adhuc cognosci possit); 7, 7 *profecto,* cui suus etiam in *F* locus duabus lineolis directis adsignatus cernitur; 33, 16 *Conem* pro *Conem̄* id est *Conemur;* 70, 16 *et,* cui angellus loci index in *F* subsignatus est; 106, 22 *crescat mee deuocionis affectus;* 113, 29 *comisi* pro *com̄isi*; 144, 22 *iudiemus* pro *audiemus.*

In tabula huius editionis XI b = p. 407, 17 casu nescio quo *gna* expressum est pro *magna;* idque factum est, quamquam photographo lucidissimarum paginarum eligendi potestatem permiseram ea tamen lege, ne quis tractatus praeteriretur.

Haec fere colligebam, quae in his epilegomenis dicenda putarem. Quibus si pietatis et gratiae longiorem significationem addidero, confido fore ut legentes mihi ignoscant, praesertim si eam cum huius operis origine copulatam conexamque esse acceperint. Nam quod hoc volumen memoriae unice dilectae matris Mariae Veronicae e gente Steinhausen oriundae dicavi, illa horum studiorum quasi auctor mihi extitit, e cuius ore suavissimo venerabile Thomae nomen iam puer saepenumero audirem his me adloquentis: Mi Iosephe, quam praeclarum illud et illud Thomae a Kempis. Matrona enim simplex, candida, recta, quae praeter librum precationum suum et Thomae de

imitatione tractatus nihil fere legebat, illius multa dicta memoria tenebat. Quae ubi post vitam orando, laborando, benefaciendo deditam anno aetatis octogensimo XV Kal. Nov. MDCCCLXXVI obdormivit, non habebam, unde scidam vitae illius curriculum, qualem componere apud nostrates moris est, continentem scribendi aptius exordium ducerem, quam a primis de imitatione Christi verbis ex Ioan. 8, 12 sumptis. Praecipue autem etiam hanc ob causam matris nomen huic libro praescripsi, ut si legentes, id quod rogo supplicoque, mei sive vivi sive mortui in piis ad Deum precibus suis misericorditer meminisse voluerint, ne illius quidem obliviscantur. Quae cum ita essent, factum est, ut anno MDCCCLXXXVIIII cura gymnasii Kempensis regendi ad me deferretur. Tum vero ego in tanti viri urbe patria condicione quaestionis Thomaeae in universum cognita libros circumspectare, undecumque comparare, lectitare, codices conferre, virorum doctorum rei peritorum notitiam epistularumque commercium quaerere, itinera facere, ne multa: de Thoma per multos annos dies noctesque sciscitari, commentari, non sine aliorum interdum molestia sermocinari. Ita consilium operum omnium illius edendorum subortum est. Cuius exequendi facultas mihi data est cum multorum consilio operaque tum benificentia viri excellentissimi rerum ecclesiasticarum et scholasticarum in Borussia summi praefecti, a quo publice viaticatus ad con-

ferendum autographum per XLVII dies Bruxellis commoratus sum, ubi egregio adiumento mihi erat bibliothecariorum, inprimis V. R. Iosephi van den Gheyn S. I., humanissima officiosissima liberalitas. Quibus omnibus viris pro sua cuique parte debitas ago ex animi sententia gratias.

Poppelsdorpi prope Bonnam scribebam aestate, absolvi XII Kalendas Octobres anni MDCCCCIII.

ADNOTATIO CRITICA.

Praeter ea, quae supra p. 433—439, 466, 476 indicavi, his siglis utar:

Asc = editio Ascensiana anni 1523[1];
Gh = Iosephus van den Gheyn[2];
N1 = codex Nordhornensis maior saec. XV[3];
N2 = codex Nordhornensis minor saec. XV[4];
Nor = editio Norimbergensis anni 1494[5];
Pr = editio Traiectensis anni circiter 1473[6];
Re = codex Rebdorfensis anni 1488[7];
S = editiones Thomae operum omnium Sommalianae;
T = codex Monacensis 18526_2 anni 1492[8];
T2 = codex Monacensis eiusdem aetatis, cuius T[8];
‖ = finis versus.

Hos codices editionesque iis tantum locis, quibus lectio in *A* aut incerta aut dubiae interpretationis est, vel quibus rationem inter *A Asc S* intercedentem, quam supra p. 474 attigi, aliquo modo inlustrari velim, a me in disceptationem controversiamque vocata esse consentaneum est. Insunt autem in iis tredecim huius voluminis tractatuum hi: in *Asc* omnes, in *N1:* V VI IX X XII XIII, in *N2:* V (cap. VII et VIII partim) VII VIII XIII, in *Nor:* V VI, in *Pr:* VI, in *Re:* V, in *S* omnes, in *T* et *T2:* V. — Lectiones sine notis infra prolatae in *A* sunt.

---

[1] Cfr. supra p. 474. [2] Cfr. supra p. 486.

[3] De hoc codice praestantissimo anno 1895 a Victore Becker mihi misso accuratius exponendi locus erit in voluminibus huius editionis primo, sexto, septimo.

[4] De *N2* una cum *N1* mihi commodato agam in volumine primo.

[5] Cfr. supra p. 475. [6] Ibid.

[7] De *Re* nunc O. 99 bibliothecae regiae Haganae cfr. *Amort Mor.* p. 142—149, Progr. gymnas. Kempens. 1895 p. VIII sq.

[8] De *T* et *T2* cfr. Karl Grube in Historisch-politische Blätter XCII (1883) 898—905; Progr. gymnas. Kempens. 1895 p. VIIII sq.

6, 27 *A* conferens de hoc loco nihil adnotavi; verum Schmidt-Reder in Otiorum Lusaticorum p. 85 in *F* haec enucleasse sibi visus est: *Memento' illius' frequenter* transmutationem vocabulorum lineolis indicari ratus, sed fortasse manu posteriore et sine minio factam. De qua re per epistulam consului *Gh* his verbis: 'Qui (Schmidt-Reder) mihi quidem dupliciter videtur errasse: et lineolam supra *illius*, quae loco puncti paulo longioris est, et litterae *t* vocabuli *frequēt* lineolam finalem, quae haud raro ita adiungitur, falso pro transmutationis signo habens. Sed quid de altera lineola supra *illius*' faciamus? Estne illa in codice?' Ad quae ille mihi rescripsit: 'Est in codice *illi⁹ frequēt*' quid de his faciendum sit non audeo decidere.' Mihi vero iam mutata sententia constat legendum esse *frequenter illius*, quam lectionem non solum *NC* habeant, sed etiam quattuordecim codices apud *Puyol Variantes* p. 75 et quattuor a me conlati [1].

27, 7 *sintillam*, sed 250, 16 *scintilla* [2].

29, 10 utrum *confert* an *conferunt* in *A* scriptum esset dubitans Hosdey, bibliothecarius adiunctus Bruxellensis, *confert* posse legi censebat, *Gh* sine dubio legendum esse adfirmabat. Cui ego adstipulor non solum litterarum ductibus accuratissime examinatis, sed etiam consensu *CND* motus. Puyoliani (p. 127) et reliqui mei variant. *BG* habent *conferunt*.

[1] *GBD* habent *illius frequenter*, Buxhemensis anni 1471 (de quo cfr. *Amort Mor.* p. 153 sq.) *frequenter huius*.
[2] *sintilla* codex Monasteriensis, de quo cfr. supra p. 480.

39, 6 quod in *A* legitur, cum et *inepte* et *ineptae* esse possit (cfr. supra p. 457), utrumque autem sententiae satisfaciat, dubium mihi aliquamdiu erat, utrum praeferrem. Sed consuetudine sermonis Thomaei commendatur adiectivum in quattuor primis tractatibus haec cum *laetitia* coniungentis: 39, 18 *bona*, 207, 17 *festiva*, 184, 18 *mea*, 182, 20 *omnis*, 52, 12 *perpetua*, 20, 16 *quanta*, 77, 22 *spiritualis*, 36, 29 *transitoria*, 68, 3. 17. 237, 9 *vera*, quibus similia sunt 69, 2 *iustorum laetitia* et *Eccl* 7, 5 *Cor sapientium, ubi tristitia est, et cor stultorum, ubi laetitia.*

47, 16 *Alius*, quod primum folii 21^{r} primum vocabulum est, post colon prima littera grandi scriptum est.

59, 4 pro *I* minio exaratum est *ṕmū.*

67, 31 Subsimilis hic dubitatio codicumque discrepantia (*Puyol* p. 194), quae supra 29, 10: *Gh occurrerit* legi posse, Hosdey sine dubio legendum esse dicebat. Pariter formatum est 175, 14: *fac de me quidquid placuerit.* Vulgo legitur *occurrit.*

71, 25 Flexa (?) nigrior est videturque post inserta esse, nisi color ei inductus sit; nam eandem habent *BC*[1].

79, 4 colon admodum evanidum est, sed idem est in *B*, deest in *C*.

80, 26 de verbis deletis, quae supra p. 453 sq. attuli, cfr. *Becker Les dern. trav.* p. 36 sq., *Puyol Variantes* p. 212—214.

---

[1] *N* flexis omnino caret interpunctionemque parum curat (cfr. *Hirsche* III 192).

85, 1 pro vulgato *invenit* per compendium *invenerit* scriptum esse probante *Gh* arbitratus sum; quod an retractandum sit, valde dubito. Codicum plerique habent *invenit*, alii *inveniet*[1], Kirchhemianus[2] *in uenit*[2] (id est *inuenerit*), Faucensis[3] I. 2 Lat. 4° 36 scriptus anno 1459 *in venerit;* de quibus lectionibus quid iudicandum sit, iam videamus. Atque *inveniet* quidem ut suo iure infercire sibi videretur librarius aliquis, facile induci potuit similitudine exemplorum, qualia sunt 35, 18: *Si te subtraxeris . . . invenies;* 56, 12: *Si autem dederis te, . . . invenies;* cum quibus conferas consimilia 70, 25. 26; 131, 5; 166, 25. 26; 167, 27–29; 235, 30. Quamquam correctione opus non erat reputanti praesens cum futuro exacto eadem ratione coniunctum legi 35, 6: *Beatus servus ait evangelista Lucas: quem cum venerit dominus invenerit vigilantem*[4] et 131, 13–15: *Dat enim Dominus ibi benedictionem suam: ubi vasa vacua invenerit;* quae ipsa exempla haud scio an librariis Kirchhemiani et Faucensis sententiarum conexum parum acute perspicientibus ansam mutandi dederint; neque enim ubi scriptum sit et in enuntiatione principali et in secundaria futurum exactum, in his quattuor primis tractatibus exemplum indagavi ullum.

[1] Cfr. *Puyol Variantes* p. 222.

[2] *Pohl* p. VIIb 4; V. Becker, ‚De Codex van Kirchheim', in: Godsdienstig, Wetenschappelijk en Letterkundig gebied. XXVIIe Jaarg. Dl. XLIII. Utrecht, P. W. van de Weijer. 1894 [commentationis separatim editae p. 1—24].

[3] *Pohl* p. VIIb 3.

[4] Luc. 12, 37. 43. 44; Matth. 24, 46. 47.

95, 24 *nec* pallidiore atramento scriptum est fortasse in rasura.

97, 21 minio per compendium exaratum est *Quod*, cui atramento superscriptum est "[1], ita ut, si hanc lectionem probes, legendum sit *Quam*. Sed cum 90, 4 in *A* et utroque loco in *NBC Quod* sit, hanc lectionem recipere non dubitavi.

105, 30 *cherubin* et *seraphin* (sic corrigas quaeso), quae formae sunt linguarum Aramaicae et vulgaris Arabicae[2] pro Hebraicis in *im* exeuntibus, mutare nolui.

108, 24 inter *de* *exercicio* lacuna est iam a Schmidt-Reder Ot. Lusat. p. 73 observata. De qua *Gh* a me rogatus, apparerentne in loco lacunae vestigia rasurae, rescripsit: 'mihi etiam videntur adesse vestigia rasurae.' Cfr. infra ad p. 239, 28. 29.

109, 21 cum punctum pusillum atque suppallidum iuxta *tractandum* positum sententiae repugnans casu ortum esse videatur, pro eo virgulam scribere non debebam. Deest in *NBC*.

116, 1 quod post *grām.* positum est punctum, id aut per casum aut per socordiam factum esse existimo. Deest in *NBC*.

117, 23 *cum primis: ANBC*.

124, 11. 12 *"maneam" apud te* | [3]. Flexa, quam *BCH* habent, in *A* non est, sed super punctum videtur rasura esse punc-

[1] *Gh* videtur ab alia manu superadditum.
[2] Cfr. W. Gesenius-Kautzsch, Hebräische Grammakti, 26. Aufl., Leipzig 1896, p. 236.
[3] Cfr. supra p. 452.

tillique vestigium, quod vix oculis cernas. *F* colon exhibet.

127, 30 punctum post *tribuam*, quod in *NBC* deest, in *AF* pertenue est.

147, 3 *nūmismate ANBC*, cuius *m* geminatam substantivi nummi [1] analogiam secutus servandam esse censui, praesertim cum etiam Sedulii [2] codex A saec. VIII carm. lib. V 43 et Venanti Fortunati [3] L (Laudunensis 469) saec. VIII vel IX in Vita S. Martini 2, 337 *nummismata* exhibeant.

151, 7 pro *quintū* aequabilitatis causa scripsi *V* itemque 154, 11 *VI* pro *sextū*.

154, 18 Cum ad *Gh* haec scripsissem: '*prosperis* | Cuinam rei inservit lineola directa (cathetus)? Distinctioni, puto, vocabulorum *prosperis* et *placeo* artius inter se iunctorum, qualia, ni fallor, aliquotiens in autographo animadverti', is mihi respondit: 'Equidem ita etiam censeo.' Iam re iterum perpensa aliter mihi videtur. Neque enim ullus codex *ei in prosperis* habet, sed ad unum omnes *in prosperis ei*, nisi quod *B* pro *ei* habet *ei̅*, id est *enim*. Quae cum ita sint, primitus fuerit in *A* "*ei* "*in prosperis* ", sed lineolae procedente tempore praeter unam super *i̅n* residuam evanuerint necesse est.

[1] Cfr. Alfred Fleckeisen, Fünfzig Artikel aus einem Hülfsbüchlein für Lateinische Rechtschreibung. Leipzig, Teubner, 1861 p. 21. W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der Lateinischen Sprache. Leipzig, Teubner, I (1868) 438. 440; II (1870) 127. 547. 1014.

[2] Vol. X Corp. script. eccl. Lat. ed. Ioh. Huemer, Vindobonae 1885.

[3] Edidit Fridericus Leo in Mon. Germ. hist. auct. antiquiss. tom. IV 1, Berolini apud Weidmannos MDCCCLXXXI.

196, 22 *preciosi* habent *ANB*[1]*C Caroliruhensis* 381, *Guelferbytanus* nunc 998, antea 896[2], quod ita explicandum esse reor, ut quandoque bonum dormitare Thomam moneam[3], vel ita tutandum, ut *pretiosi* fortasse genetivum generis neutri esse idem valens, quod *rei pretiosae*, statuam.

222, 3—224, 17 *facie.* Huius partis in *A* exaratae manu recentiore[4] orationem conformavi ad fidem *ANBC*, interpunctionem ad *BC*[5]. Discrepantia autem haec est:

222, 3. 4 *Capt 44. A, Ca*[m] *xliiij. N* post 5 scripserunt.

3 *attribuendo* (pro *attrahendo*) *N.*

5 *capitulum* deest in *BC.*

6 *FIli In B; FIli in C.*

7 *te* omisit *B.*

9 *sit Multa B.*

17 *deuenimus. Ecce B* syllaba *de* minio deleta.

18 *temporale defletur. N.*

20 *obliuione N, obliuionen C.*

24 *defluit et A; defluit Et BC.*

[1] Meae intellegentiae vim et notionem fugit, qui B. Höl-scher *B* hoc loco habere *pretiosae* scribere potuerit. At nimirum similia incredibilia dictu apud illum vigent.

[2] Cfr. *Hirsche* I 477 sqq.

[3] Cfr. *Pohl Handschr.* p. 333.

[4] Cfr. supra p. 445 sq.

[5] *N* 223, 18 et 224, 5. 7. 8. 9. 12. 13 signa interrogationis, praeterea tantum puncta habet, atque his quidem locis: 222, 5. 6 *(inscium.).* 15. 18. 19; 223, 4. 9 *(repperi.).* 10. 12. 14 *(instabiles.).* 16. 23 *(consolabitur.).* 25 *(finem.).* 26 *(domine.);* 224, 6. 9. 10. 14. 15 *(mendax. infirmus. instabilis.).* 16 *(verbis.).* Recentioris manus in *A* interpunctionem neglegentem fideliter expressit *H*, nisi quod 224, 4 punctum apud eum desideratur, virgula 222, 10 post *sunt* abundat, 223, 16 post *valet* deest. Flexa uterque (*N* et *B*) caret.

223, 4 *Cap. 45. A; capitulum* deest in *C.*
23 *eruetur aut B; consolabitur*] *C.*
26 *amici.* (punctum pallidum est) *C.*
28 *per* (pro *praeter*) *N.*

224, 1 *mecum foret ita N.*
2 *"sollicitaret "me | B.*
9. 10 *sumus nec B.*
13 *fallis nec B.*
14 *rursum. omnis C; rursum Omnis N.*
15 *labilis. maxime C.*
17. 18 *sonare videtur. Quoniam* (falso pro *Quam*) *prudenter* fol. 100ᵛ in *A* abundant, cum fol. 101ʳ a *sonare videtur* incipiat.

235, 9 *utilis B.* Ad eorum codicum numerum, quos alio loco[1] dixi habere *utile*, addendi sunt *NC.* Quod, ne iterum dormitandi excusatione utar neve ad compendium illud syllabae *is* confugiam, quod ab *e* deorsum sinuata haud ita multum differt, a grammaticis, ubi de congruentia praedicati adiectivi disserant, exempla adferri notum est, qualia sunt: *Triste lupus stabulis* et *varium et mutabile semper femina.*

239, 28. 29 *nulli melius* eadem dicenda sunt, quae supra p. 491 ad 108, 24 adnotavi.

250, 1 *captiuam ANC* codex Lacensis[2] codex Monasteriensis[3], *captiuum* vulgo. Scribentis animo videtur obversatum esse subiectum *anima*, cuius nominis numero singulari Thomas in quattuor primis trac-

[1] *Pohl Handschr.* p. 333.
[2] De hoc codice cfr. Stimmen aus Maria-Laach XXII (1882) 254 sq.
[3] Vide supra p. 480.

tatibus usus est bis et septuagiens; cfr. cum in hoc ipso capitulo 252, 3 tum 143, 2. 3 capituli primi inscriptionem: *De interna Christi locutione ad animam fidelem.* An coll. Rom. 7, 23 scripturus erat *captivantem?*

276, 3 *veĩt*[1] quod compendium utrum solvendum esset *veniet* an *veniat*, cum *Gh* consuluissem, is mihi rescripsit: 'Mihi videtur Veniat.' *Asc* et *S* exhibent *veniet*, sed legendum est *venit;* nam *veĩt* habent *N1 Re, venit T T2,* et in *F* constanter pro futuro scriptum est *veniet* vel *veẽt,* pro praeterito et praesenti *venit* vel *ueĩt,* pro coniunctivo praesentis *veniat* vel *ueãt.* Lineolae superscriptae ductum tortuosum motione aliqua manus tremebunda ortum esse crediderim.

288, 1 Pallidum pusillumque post *eciã* punctum casu ortum videtur. Ut deleretur, sententia postulabatur.

291, 28 *te A N1 Re T T2 Nor,* omisit *Asc, tibi S,* qui *te cavere* ad verbum expressum esse Germanicum *dich hüten* non vidit.

293, 26 Luc. 13, 3 legitur *habueritis,* non *egeritis;* Luc. 13, 5 *egeritis.*

294, 28 *libenter* supra p. 450 cruce praeposita insigniendum erat, cum et pallidiore atramento et alia manu in margine scriptum sit; deest in *Re N1 T T2 Nor Asc,* legitur in *S.* In *N2,* cum in commentariis meis nihil adnotaverim, videtur esse; sed argumentum e silentio, quod dicunt, lu-

[1] Virgula post *venit* supra 276, 2 deleatur.

brica res est. Quare *libenter* deleri praestabit.

301, 14 in *A* est *vl || tra*, quod litteris *ul* in initio versus propter similitudinem antecedentium errore omissis Thomam scripsisse suspicor pro *vel ultra.*

303, 21—305, 28 leguntur 411, 10—413, 16 iisdem verbis, nisi quod 304, 12 *ad interna*, 411, 29 *interius* est, repetita, sed interpunctione aliquantum in peius mutata, quam quidem antiquioris recensionis esse credo, cum in *A* scriptum sit 304, 27 *consilio*, 412, 14 *concilio;* cfr. supra p. 459. 462—464.

313, 7 *habere agere A N1 Re Nor, habere et agere T T2, habere vel agere Asc S*, a quibus *vel* insertum esse patet sive ignorantibus sive non cogitantibus: *nihil cum mundo habere agere volunt* ad verbum expressum esse e Germanico: *sie wollen mit der Welt nichts zu tun haben.*

326, 12 *simplicem A N1 S, humilem Pr Nor Asc.*

327, 10 *dauiticos A N1 Pr Nor, dauidicos Asc S;* cfr. supra p. 460.

328, 19 *emendas A N1 Pr Nor S.* Expectaveris potius *emendaris*, quod habet *Asc;* sed *Gh* per epistulam rogatus dubitanti mihi, utrum in *A* scriptum esset, respondit: *emendas.*

334, 30 inter *dixeris* et *non* in *Asc S*[1] haec inserta leguntur: *memor videlicet*

[1] Etiam in reliqua capituli tertii parte inde a 335, 3 336, 11 *Asc S* multas inter se consentientes (cfr. supra p. 474), ab *A N2* discrepantes habent lectiones, quas hic enumerare

quod sine eo nihil boni poteris facere aut dicere: & si quid feceris aut dixeris, quae in *A N2* desunt.

344, 24 *e* || (pro *et*) *A*.

378, 8 *imitatus: Est A*. Litteram grandem ac minii quidem lineola notatam alibi in *A* post colon occurrere non memini.

380, 31 *deo*˘ *liberi*º *A*. Ex *Gh* per epistulam percontatus, putaretne duabus lineolis vocabula transmutanda esse indicari, hoc responsum tuli: 'Dubito, anceps haereo, quia in casu hoc signum bis scribitur.' Quod quamquam plerumque, tamen non sine exceptione fit, veluti 298, 16 pro "*permane solus*[1] *Re N1 T T2 Pr Nor S solus permane* habent. Quod si nihilo setius *Deo liberius* scripsi, hoc feci secutus lectionem, quae in *N1 Asc* est.

392, 1 in *A* est *cūcta* "*aspiciēda*"[2] *st*'¬. Pro *cūcta* duabus de causis existimo Thomam scribere voluisse, id quod e coniectura in contextum recepi: *cuncta terrena:* primum quod punctum crassum saepissime pro *er* superscribitur; deinde, quod caput est, quod 60, 30 plane eadem leguntur: *cuncta terrena sunt aspicienda. ta* similitudine syllabae sequentis, *na* similitudine exitus intercidere facile potuit. Thomam autem haec scribentem animo suspenso et occupato fuisse indicari videtur ipsa sequentium vocabulorum transmutatione.

---

nihil attinet, nisi quod 336, 7 inter *semper* et *Nec* circiter quattuordecim versus interpolaverunt.

[1] Cfr. supra p. 453.

[2] Supra p. 453 prius lineolarum par ante *aspicienda*" addendum est.

392, 7 *Asc S* post *Dei* addiderunt: *Quod nobis concedat ipse Deus. Amen.*, quae verba in *A N1* desunt.

396, 30 post *sapientia Asc S* septem versus interpolatos habent.

409, 18—418, 28 in editione Sommaliana sexta (1660) et posterioribus a tractatu, qui est *de elevatione mentis*, seiunctae et praeter 411, 10—413, 16 plane omissas cum *Orationibus piis* (in editione anni 1728 II 266—270) coniunctae sunt, quam seiunctionem probavit *Hirsche* II 67. 78. 79; qui cum illas orationes testimonia et exempla elevationis mentis esse (p. 78) ipse concedat, eas hic non omittendas esse censui, cum praesertim in *N1* insint[1], neque 413, 17—415, 5 oratio sit, sed exhortatio, atque Thomas, si eas partem tractatus de elevatione mentis esse noluisset, eas in indice voluminis (p. 1) nominare debebat. Adnotandum tamen hic est in fol. 183[r] tantummodo duodecim versus exaratos esse desinentes in *restitue* (409, 16).

409, 26 inter *parentibus* et *cognatis* vestigia erasi *et* perspiciuntur.

411, 12 in margine postea praeciso haec vocabulorum fragmenta manus posterior pallidiore attramento adscripsit:

a orō eciā
ēt[c] alibi

quae sic supplenda esse persuasum habeo: *ista oratio etiam habetur alibi.* Idem autem

[1] *Asc* consentit cum *A N1*, nisi quod 411, 10—413, 16 omisit.

capitulum iam 303, 21—305, 28 legitur; vide supra p. 496.

Post 418, 28 *Asc* capitulum addidit sumptum ex *A2* (= *SII* p. 566), *S* indidem sumpta capitula duo (= *SII* p. 566 et 567).

432, 4 *tradēt* ⁞ et finis verbi et interpunctio usu detrita sunt, id quod in complures folii 192ᵛ exitus versuum cadit. Ceterum lectio huius partis, quam inde ab 431, 28 *(indurabile)*—432, 13 *Hirsche* II (IV b) et *H* tabula photographica exprimendam curavit, testimoniis *N1* et *N2* certa est.

INDICES LOCORVM, QVOS THOMAS IN VSVM SVVM CONVERTIT:

A. SACRAE SCRIPTURAE:

Tractatus I:

Huius vol. p.	
5, 7. 8	Ioan 8, 12
12. 13	Marc 3, 5
	Eph 4, 18
17	Apoc 2, 17
20	Rom 8, 9
6, 11. 12	Eccl 1, 2
12. 13	Deut 6, 13
	10, 20
	Mat 4, 6
	Luc 4, 8
18. 19	Gal 5, 16
28. 29	Eccl 1, 8
7, 7—9	Eccli 19, 21
12—14	1 Cor 13, 2
24	1 Tim 3, 9
8, 3	Rom 11, 20
	12, 16
22	Num 12, 8
9, 1. 2	Ier 5, 21
	Is 6, 9. 10
	Mat 13, 13—15
	Marc 4, 12
	Ioan 12, 40
	Act 28, 26. 27
	Rom 11, 8
5	Ioan 1, 3
6. 7	8, 25
12	14, 6
12. 13	Ier 31, 3
10, 1—3	Sap 10, 12
11, 3	1 Ioan 2, 17
9. 10	Rom 1, 21
14. 15	Phil 3, 8

Huius vol. p.	
11, 21	Eccli 19, 16
28	Gen 8, 21
29	Eccli 14, 1
	19, 16
12, 6. 7	Tob 4, 19
10	Eccli 34, 9
29	Ps 38, 7
29	Ps 116, 2
13, 1	
1. 2	Col 3, 25
2. 3	Hebr 1, 1
9	Eccli 32, 12. 13
10. 11	6, 35
	8, 9
18. 19	Ps 36, 11
14, 21	Iac 4, 6
21. 22	Iudith 6, 15
22. 25	Ier 9, 23. 24
	1 Cor 1, 31
	2 Cor 10, 17
15, 3. 4	Ioan 2, 25
17	Eccli 8, 22
18. 19	9, 21
	37, 15
21. 22	Prov 25, 6
23. 24	Rom 14, 19
17, 8	1 Reg 15, 23
9. 10	Esth 14, 16
18, 4. 5	Mat 26, 41
6. 7	Eph 4, 29
24	Prov 28, 18
24. 25	Ps 36, 11
19, 9. 10	Mat 16, 23
	Marc 8, 33
19. 20	2 Par 20, 17

19, 26. 27 Mat 3, 10
21, 15. 16 2 Cor 1, 8
16. 17 Phil 1, 23
26 Iob 7, 1
cfr. LXX ad h. l.
28 1 Petr 4, 7
5, 8
22, 1. 2 Act 14, 21
9 Eccli 9, 11
12 Iac 1, 14
17 19 Col 1, 11
31 Eccl 31, 31
23, 11. 12 27, 6
12 1 Cor 10, 13
24, 10. 11 Iudith 8, 16
11. 12 1 Petr 5, 5. 6
14 Ps 33, 19
Luc 1, 52
26, 13 1 Cor 13, 3
26. 27 13, 5
27, 23 2 Tim 2, 14
26 Gen 50, 20
28, 10. 16 Gal 6, 2
17 6, 5
Eccli 11, 26
18 Prov 3, 7
19 Col 3, 13
1 Thess 5, 11
29, 2 Phil 3, 6
3 Apoc 2, 10
7 1 Par 29, 15
Ps 38, 13
1 Petr 2, 11
Hebr 11, 13
7. 8 1 Cor 4, 10
14. 15 Ps 114, 3
20. 21 Sap 3, 6
30, 4–8 Deut 28, 48
2 Cor 11, 27
12, 10
1 Cor 4, 11–13
1 Thess 2, 9
2 Thess 3, 8
12. 13 Ioan 12, 25
31, 16 Eph 5, 2
32, 16 Prov 24, 12
19. 20 Iob 8, 6
23. 24 2 Par 14, 11
33, 9. 10 Prov 16, 9
10. 11 Ier 10, 23
30. 31 Iob 38, 3
Eph 6, 11
35, 4. 5 Rom 8, 18
7–10 Luc 12, 37. 43. 44
Mat 24, 46. 47
36, 4. 5 Ioan 5, 13
36, 4. 5 Luc 5, 15. 16
11 2 Cor 1, 12
37, 8. 9 Ps 4, 5
9 Is 26, 20
19 Eccli 39, 3
19–21 Ps 6, 7
26 Act 27, 3
30. 31 1 Ioan 2, 17
38, 7 Prov 23, 31. 32
13 Eccl 2, 11
15. 16 Is 40, 26
Ps 122, 1
16. 17 Eccli 3, 4
18. 19 3, 22
19. 20 Is 26, 20
Mat 6, 6
39, 3. 4 Prov 23, 17
41, 10. 11 Ps 79, 6
25. 26 1 Cor 11, 30
42, 19. 20 Ps 24, 17
29. 30 Rom 8, 5
43, 8. 9 Hebr 10, 35
17. 18 Ps 65, 12
26 Hebr 10, 36
26–28 Ps 56, 2
28. 29 2 Cor 5, 4
30. 31 Gen 8, 21
44, 12. 13 1 Thess 5, 3
24 1 Mach 2, 63
45, 20 Ios 23, 14
3 Reg 2, 2
23 Mat 24, 44
Luc 12, 40
26. 27 12, 40
Mat 24, 42. 44
46, 22. 23 2 Cor 6, 2
Is 49, 8
47, 6 1 Cor 9, 27
17. 18 Eccl 7, 3
18. 19 Ps 143, 4
24 Gal 6, 10
27–30 Luc 16, 9
31 1 Petr 2, 11
48, 3. 4 Hebr 13, 14
15 Is 11, 4
15. 17 Iob 31, 14
21. 22 Gal 6, 5
29 Mat 5, 44
49, 1 18, 35
14. 15 Sap 11, 17
50, 1. 3 5, 1
9 1 Cor 4, 10
11. 12 Ps 106, 42
51, 15. 16 Eccl 1, 2
16. 17 Deut 6, 13
Mat 4, 10

51, 27. 28 | 1 Tim 6, 9
52, 4 | Apoc 3, 2
8. 9 | 1 Cor 3, 8
11-13 | Eccli 51, 35
53, 3. 4 | 2, 19
4. 5 | Rom 12, 2
5 | 2 Tim 3, 17
6—9 | Ps 36, 3
54, 7—9 | 2 Thess 3, 6
56, 5. 6 | Col 3, 11
20 | Eccli 19, 1

Tractatus II:

59, 5. 6 | Luc 17, 20. 21
6. 7 | Ioel 2, 12
9 | Mat 11, 29
12. 13 | Rom 14, 17
16. 17 | Ps 44, 14
21 | 1 Reg 7, 3
60, 1
3 6 | Ioan 14, 23
11. 12 | 12, 34
20 | Prov 3, 5
21. 22 | Is 38, 14
23. 24 | Hebr 13, 14
24. 25 | Ps 38, 13
27. 28 | Act 7, 49
28. 29 | 2 Cor 5, 2
61, 2 | Sap 5, 16
3. 4 | Ps 140, 2
| 1 Thess 5, 17
22. 23 | 2 Tim 2, 12
62, 6 | Is 54, 13
20 | Rom 8, 28
26. 27 | Ps 76, 3
63, 9. 10 | 2 Par 20, 17
12 | 25, 8
20 | 2 Cor 7, 6
21. 22 | 1 Petr 5, 5
| Iac 4, 6
64, 23 | Eph 4, 2
65, 6. 7 | Rom 12, 18
| 2 Cor 13, 11
66, 12 14 | Rom 2, 9
68, 2. 3 | Ier 23, 24
8. 9 | 2 Cor 1, 12
13. 14 | Sap 17, 10
14. 15 | 1 Ioan 3, 21
18 | Is 48, 22
| 57, 21
19 | 1 Thess 5, 3
20 | Mich 3, 11
22 | Prov 24, 22
23. 24 | Ps 145, 4
68, 24. 25 | Rom 3—5
26 | Gal 6, 14
69, 3 | 1 Cor 13, 6
16 | 1 Reg 16, 7
24-27 | 2 Cor 10, 18
27 | Gen 5, 22. 24
| Mich 6, 8
70, 26. 27 | Is 36, 6
27 | Mat 11, 7
| Luc 7, 24
27 29 | Is 40, 6. 7
| Eccli 14, 18
| Iac 1, 10
| 1 Petr 1, 24
71, 19-21 | Ioan 11, 28
72, 2 | Eccli 6, 14
15. 16 | Ioan 6, 68. 69
73, 3. 4 | Ier 10, 6
| Mich 7, 18
10. 11 | Ps 33, 9
| 45, 11
16. 17 | Phil 4, 13
24 | Tob 3, 22
74, 10 | Deut 1, 30
75, 23. 24 | Ps 29, 7
26. 27 | 29, 8
29. 31 | 29, 9
76, 2. 3 | 29, 11
4 6 | 29, 12
12. 13 | Iob 7, 18
14 16 | Ps 51, 10
| 1 Petr 1, 13
29 31 | Iudith 8, 21—23
77, 6. 7 | Apoc 2, 7
17. 18 | Iob 5, 7
78, 27. 28 | Mat 22, 21
79, 6 | Gal 5, 26
9 11 | Ioan 5, 44
80, 6 | Luc 14, 27
8 | Eccli 6, 10
12 | Luc 24, 35
18 | Mat 20, 22
81, 10 | 5, 3
11. 12 | Prov 31, 10
12. 13 | Cant 8, 7
19. 20 | Luc 10, 42
28. 29 | 17, 10
31
82, 1 | Ps 24, 16
7 | Ioan 6, 61
7 9 | Mat 16, 24
| Luc 9, 23
10. 11 | Mat 25, 41
13 | 1 Cor 1, 18
13. 14 | Ps 111, 7
14. 15 | Mat 24, 30

82, 17 — Rom 8, 29
27. 28 — Mat 16, 24
28 — 25, 46
29 — Ioan 19, 17
83, 3. 4 — Rom 6, 8
21 — Iob 7, 20
84, 21. 22 — Luc 24, 26. 46
29 — Iob 14, 1
85, 16 — Tob 12, 13
24. 25 — 1 Cor 9, 27
86, 13 — Ps 106, 39
14. 15 — Mat 20, 23
15. 16 — Ioan 13, 8
20–22 — Rom 8, 18
87, 1. 2 — 2 Cor 12, 2
4–6 — Act 9, 16
8. 9 — 5, 41
88, 8–10 — Mat 16, 24
Luc 9, 23
12 14 — Act 14, 21

Tractatus III:

91, 4 6 — Mat 11, 28
7. 8 — Ioan 6, 52
8. 9 — Mat 26, 26
Marc 14, 22
9. 10 — 1 Cor 11, 24
Mat 26, 26
Luc 22, 19
11 13 — Ioan 6, 57
13. 14 — 6, 64
92, 13. 14 — 13, 18
16 18 — Mat 11, 28
24 — 3 Reg 8, 27
29. 30 — Cant 3, 4
93, 6 — Gen 6, 9
6. 7 — 1 Petr 3, 20
10 — Ios 1, 13
11 — Eccli 45, 1
11. 12 — Exod 25, 5. 10
cfr. LXX ad h. l.
13 — Exod 25, 11
16. 17 — 3 Reg 5, 7
Eccl 12, 9
19. 20 — 2 Mach 2, 12
3 Reg 8, 66
20. 21 — 3, 4
21. 22 — 2 Reg 6, 15. 17
25 — Cant 3, 4
94, 23. 24 — 2 Reg 6, 14
25. 26 — 2 Par 23, 13
30 — 20, 21
95, 20. 21 — 1 Tim 2, 5
96, 23. 24 — 1 Cor 1, 30
97, 9 — Hebr 7, 23
9. 10 — Mal 1, 11
18 20 — Mat 11, 28
98, 1 — Ps 35, 10
4. 5 — Luc 1, 43
12. 13 — Eph 2, 4
99, 9. 10 — Ps 77, 25
11. 12 — Ioan 6, 33. 51. 52
21. 22 — Ps 148, 5
28. 29 — 2 Mach 14, 35
100, 30 — Ps 67, 11
101, 5 7 — 85, 4
11 — Luc 19, 9
20 22 — Mat 9, 35
Marc 1, 34
23. 24 — Mat 15, 32
Marc 8, 3
102, 5. 6 — Gen 8, 21
19. 20 — 2 Cor 5, 6
103, 6–8 — Hab 2, 20
7. 8 — Gen 2, 1
11. 12 — Ps 146, 5
17. 18 — 20, 4
22. 23 — 105, 4
25. 26 — 12, 4
104, 6. 7 — Eccli 17, 31
8. 9 — 1 Par 29, 17
30 — Ps 53, 6
105, 22. 23 — Lev 6, 12. 13
24 — Is 12, 3
106, 7 9 — Mat 11, 28
10 — Gen 3, 19
13 — Ps 21, 12
14 — 7, 3
15 — 24, 5
20. 21 — 26, 9
107, 3 — 77, 25
13 — Sap 12, 18
19 — 1 Tim 4, 16
20. 21 — 4, 14
23. 24 — Num 9, 13
25 — Tob 10, 13
30. 31 — Tit 2, 7
31 — Phil 3, 20
108, 1. 2 — Hebr 5, 3
4. 5 — 7, 27
9. 10 — 1 Petr 2, 21
30 — 1 Esdr 9, 6
109, 3 — Is 50, 7
110, 3 — Ps 31, 5
111, 26 28 — Ez 33, 11
28. 29 — 18, 22
Is 43, 25
Hebr 10, 17
112, 6. 7 — Is 53, 7

112,	6. 7	Hebr 9, 28
	17	Phil 4, 17
		2 Cor 12, 14
	20–22	Eccli 35, 8
113,	7. 8	Luc 14, 33
	15. 16	1 Par 29, 11
	17	Deut 16, 10
	19. 20	1 Par 29, 17
	22	Tob 8, 19
	28	Is 60, 7
114,	3	
	6. 7	Hebr 9, 14
		1 Ioan 1, 7. 9
		1, 9
	11. 12	Ps 24, 11. 18
	20–22	1 Petr 1, 18. 19
	22. 23	1 Mach 13, 46
	26	Ps 122, 3
115,	31	77, 49
116,	22	Iob 1, 6
	22–24	2, 1
		1 Reg 16, 14
120,	4–6	Luc 7, 38
		Ioan 12, 3
	8. 9	Apoc 14, 10
	10	Tob 11, 11
	18. 19	Hebr 1, 6
	20	2 Cor 5, 7
	23. 24	Cant 2, 17
		4, 6
	25	1 Cor 13, 10
	29	13, 12
	29–31	2 Cor 3, 18
121,	1	Ioan 1, 14
	1. 2	1 Ioan 1, 1
		1 Petr 1, 25
	7. 8	Rom 1, 9
	17	Hebr 6, 12
	18	Tit 2, 13
	22	2 Cor 5, 7
	23. 24	1 Mach 12, 9
122,	3. 4	Ps 118, 105
	6	Ioan 6, 35. 48
	7. 8	Ez 40, 39
	8	44, 19
	10	1 Reg 21, 4
	13. 14	Hebr 6, 19
		9, 3
	16. 17	Sap 7, 26
	18. 19	Eph 4, 11
		1 Cor 12, 28
	22	Luc 14, 16
	26	Ps 22, 5
123,	1	28, 3
	13	1 Tim 2, 8
	16. 17	Lev 19, 2
123,	16. 17	Lev 11, 44
		20, 26
		1 Petr 1, 16
	20. 21	1 Tim 1, 5
124,	8	Act 7, 49
		Is 66, 1
	9–11	Marc 14, 15
		Luc 22, 12
	12	1 Cor 5, 7
	15. 16	Ps 101, 8
	16. 17	Is 38, 15
	27. 29	Luc 14, 12. 14
125,	9. 10	Mat 18, 33
	12	7, 7
		Luc 11, 9. 10
	14. 15	2 Mach 14, 35
	20	1 Tim 4, 14
	20. 21	1 Reg 7, 3
126,	2	Prov 10, 19
	7	Gal 2, 20
	13–16	Cant 8, 1
	19. 20	Exod 33, 11
	28	Ioan 17, 21
127,	1	
	2	Cant 5, 10
	3	Mat 12, 18
	7	Is 45, 15
	9. 10	Prov 3, 32
	10. 11	Sap 12, 1
	11. 12	16, 21
	12. 13	16, 20
		Ioan 6, 50
	14–17	Deut 4, 7
	19. 20	4, 8
	26. 27	Ps 115, 12
128,	13. 14	30, 20
129,	1	Ier 2, 13
		Ps 41, 2
	7–10	Luc 24, 30—35
	13	18, 13
	20–22	2 Cor 2, 8
	22	Is 4, 4
131,	15	4 Reg 4, 3
	19–21	Is 60, 5
	21. 22	Ez 3, 14
		Luc 1, 66
	23. 24	Ps 127, 4
	24	118, 2
	25	23, 4
132,	14	Ioan 18, 4
		21, 17
133,	7–9	1 Cor 6, 17
	15. 16	Lev 6, 13
134,	25. 26	Luc 1, 38
	29–31	1, 44
135,	1	Ioan 1, 36

135, 3–5 Ioan 3, 29
20 Ps 150, 2
23 150, 6
27. 28 Dan 7, 14
29. 30 Act 19, 17
136, 2. 3 Dan 3, 39
Hebr 4, 16
19. 20 Prov 25, 27
27 Ps 118, 35
28 /
137, 1 \
6 Iac 4, 7
14. 15 2 Par 20, 20
15. 16 Iac 4, 7
16 Prov 2, 7
3, 32
27 Ps 118, 130
28 Luc 24, 45
29 Mat 11, 25
Luc 10, 21
138, 7 Iob 5, 9
7. 8 Ps 134, 6
8. 9 Is 40, 28
11 Eccli 11, 4

Tractatus IIII:

143, 5. 6 Ps 84, 9
9. 10 Iob 4, 12
144, 3. 4 Ps 34, 3
16. 17 1 Reg 3, 10
17. 18 Ps 118, 125
19 77, 1
19. 20 Deut 32, 12
21–24 Exod 20, 19
25. 27 1 Reg 3, 10
145, 6. 7 Luc 24, 45
12 Eccli 2, 10
1. 1 Cor 3, 7
14. 15 Iob 32, 8
20. 21 Rom 2, 13
Iac 1, 22
23. 24 Ioan 6, 69
27. 28 1 Petr 1, 7
146, 5 Prov 4, 10
8 Ioan 6, 64
10. 11 Eccl 9, 17
12 15 Ps 93, 12. 13
16. 17 Hebr 1, 1. 2
27. 28 Is 23, 4
147, 14 Iob 40, 28
17–19 1 Tim 2, 15
21. 22 Deut 6, 6. 7
29 31 Ioan 12, 48
148, 9 2 Cor 12, 11
148, 9 Eccl 3, 19
9. 10 Ioan 15, 5
10 Luc 18, 19
2 Mach 1, 25
11 1 Reg 2, 2
Iob 42, 2
1 Tim 6, 17
11. 12 Ier 23, 24
13 Ps 24, 6
15 Sap 14, 5
18 Tob 4, 7
Ps 142, 7
20. 21 142, 6
22 142, 10
25. 26 Ioan 17, 5
149, 4 3 Reg 2, 4
Gen 17, 1
5 Sap 1, 1
6 Ioan 8, 32
8, 36
9. 10
13 \ Ps 24, 5
19 1 Ioan 3, 22
150, 11. 12 Tob 3, 5
18 Ps 118, 120
19 2 Mach 7, 38
25–27 Is 29, 13
Mat 15, 8
Marc 7, 6
31 / Ioan 16, 13
151, 1 \ Mat 10, 20
8–12 2 Cor 1, 3
18. 19 Ps 83, 3
Prov 23, 16
19 Ps 3, 4
19. 20 118, 111
20 90, 9
141, 6
20. 21 58, 17
Ier 16, 19
25 Iob 33, 16
152, 17. 18 1 Ioan 4, 7
153, 16. 17 Is 5, 1
22–25 1 Cor 13, 4. 5
155, 30 Mat 4, 10
Marc 5, 8
156, 3–5 Ier 20, 11
6 Marc 4, 39
8. 9 Ps 26, 1
10. 11 26, 3
11. 12 18, 15
13 2 Tim 2, 3
157, 19. 20 Ier 10, 23
31 Abd 4
158, 3 Ps 90, 4
10 Rom 11, 25
159, 21. 22 Gen 18, 27

159, 23 Num 22, 34
160, 5 Ps 72, 22
16. 17 Ioan 12, 25
Mat 10, 39
16, 25
Marc 8, 35
Luc 9, 24
17, 33
23 Ps 17, 47
27 79, 20
29 Is 33, 2
Ps 45, 2
30, 4
42, 2
161, 16 Apoc 13, 16
17. 18 Num 20, 6
Apoc 21, 6
Ioan 4, 10. 11
1, 16
19. 20 2 Cor 6. 11. 12
23. 24
162, 8. 9 Luc 18, 19
14. 15 Ez 24, 27
17—19 Ps 30, 20
24 Iob 10, 8
24. 25 Is 57, 17. 18
26 Deut 19, 9
163, 1—3 Ps 118, 65
9 Iudith 16, 17
14. 15 1 Par 29, 14
17. 18 Deut 4, 19
20. 21 Hebr 1, 14
28. 29 Apoc 4, 11
164, 5 Eccli 23, 38
13. 14 Mat 7, 14
165, 1. 2 Eph 1, 9
29. 30 1 Cor 9, 27
166, 7. 8 Hebr 10, 36
11. 12 Ps 33, 11
167, 2. 3 72, 12
36, 20
15. 16 Iud 10
16. 17 2 Mach 6, 25
18. 19 Eccli 18, 30
20. 21 Ps 36, 4
168, 4 Apoc 12, 9
22 Tob 12, 10
169, 2. 3 Eccli 1, 8
2 Mach 7, 28
14 Ps 17, 43
15 Iac 2, 20
19 Ez 20, 17
20 1 Reg 26, 21
170, 9. 10 Iob 15, 15
10 4, 18
2 Petr 2, 4
12 Apoc 6, 13
170, 15 Ps 77, 25
16 Luc 15, 16
20—23 Ps 126, 1
30 35, 7
171, 9. 10 1 Cor 1, 29
10. 11 Is 45, 9
Ier 18, 6
Rom 9, 20
Sap 15, 7
19 Ps 116, 2
24. 25 Iac 4, 15
172, 23 Ps 118, 125
29 Sap 9, 10
173, 14 16 Ps 4, 9
25—27 76, 3. 4
174, 15 Phil 3, 20
22 Iob 6, 10
26. 27 Ps 102, 9
Is 57, 16
175, 11. 12 1 Petr 5, 7
27—29 Iob 2, 10
176, 3. 4 Ps 76, 8
4. 5 Apoc 3, 5
28 2 Mach 6, 25
177, 23 Ioan 12, 37
24 12, 35
178, 6. 7 Hebr 12, 4
179, 18. 19 2 Tim 2, 5
21—23 Luc 18, 27
180, 5 Ps 31, 5
15. 16 24, 18
17. 18 68, 15
9, 14
181, 1 Ios 1, 9
2. 3 1 Reg 2, 9
3 Rom 6, 6
4 1 Ioan 2, 16
24—26 Iob 30, 7
30. 31 3 Reg 22, 19
183, 1 Ps 54, 7
22. 23 33, 9
24. 26 Hebr 1, 3
184, 9 Ps 147, 7
15. 16 90, 9
25. 26 Is 45, 17
26 58, 9
29 1 Reg 3, 5. 6. 9
29. 30 Ps 118, 65
185, 6. 7 105, 45
7. 8 39, 6
11. 12 Eccli 39, 21
13 Ps 18, 10
14 2 Mach 1, 4
21. 22 Ez 20, 19
22. 23 Eph 5, 17
23. 24 Gen 32, 10
186, 2. 3

186, 26 Rom 2, 11
27. 28 11, 36
187, 13. 14 Ps 44, 17
14. 15 Phil 3, 6
16 1 Petr 2, 1
17 Act 5, 41
27 Luc 24, 10
188, 7 1, 79
14. 15 Mat 6, 10
24 Iob 42, 2
189, 3 Ps 70, 12
5. 6 26, 12
9 11 Is 45, 2. 3
20 Ioan 17, 5
26 1 Tim 3, 9
28. 27 Ps 121, 7
29 Mat 8, 26
190, 1. 2 Marc 4, 39
3 Ps 42, 3
4. 5 Gen 1, 2
7. 8 2, 6
26. 27 Ioan 21, 22
191, 2 Rom 14, 12
10 Apoc 3, 20
19. 20 1 Petr 4, 7
20. 21 Eccli 3, 20
25 27 Ioan 14, 27
192, 1. 2 Mat 11, 29
26 1 Cor 13, 5
193, 11. 12 Iob 33, 26
14 Ps 71, 7
194, 16 Gal 1, 16
195, 1 5, 17
20. 21 Mich 4, 9
Exod 18, 18
196, 17 Iudith 13, 9
Ps 50, 14
18. 19 Eph 3, 16
24. 25 Eccl 1, 14
2, 11
26. 27 Sap 9, 4
197, 5 Eccli 5, 11
198, 5. 6 Ps 112, 2
Dan 2, 20
13 17 Ioan 12, 27. 28
18. 19 Ps 39, 14
21. 22 108, 26
24. 25 Mat 26, 42
28 29 Sap 11, 18
199, 3. 4 Ps 58, 18
5. 6 76, 11
11. 12 Nah 1, 7
20 Ps 16, 7
24. 25 Eccli 36, 1
25 Ps 118, 151
Phil 4, 5
199, 27. 28 Ier 32, 27
28. 29 Num 23, 19
200, 3. 4 Mat 8, 7
7. 8 2 Cor 2, 3
8 Mat 6, 34
17. 18 Ioan 14, 1. 27
201, 5. 6 Ps 43, 22
10. 14 Iac 1, 17
24. 25 Iob 6, 10
25. 26 Ioan 15, 9
31 Luc 8, 15
202, 11 13 Ps 54, 7
12. 14 Mat 6, 22
Luc 11, 34
17. 18 Ps 30, 23
67, 28
Act 10, 10
11, 5
203, 28. 29 Gen 6, 12
204, 3 1 Tim 1, 5
20 21 Mat 16, 24
Luc 9, 23
22 2 Tim 3, 2
23. 24 Phil 2, 21
205, 2. 3 1 Esdr 10, 13
17. 18 Apoc 3, 18
25 Rom 12, 16
26 Ps 10, 18
29 Mat 13, 46
206, 7. 8 Rom 8, 20
18 Mat 6, 22
27. 28 Ioan 14, 19
27. 29 12, 9
207, 7 1 Cor 15, 28
10. 11 1 Ioan 2, 15
25 28 Rom 8, 5. 6
208, 11 Ps 143, 6
17. 18 1 Cor 15, 28
20 22 Rom 6, 6. 10
22. 23 Gal 5, 17
24 26 Ps 88, 10
26 43, 26
27 67, 31
27. 28 58, 12
Iudith 9, 11
28. 29 Eccli 17, 7
29 36, 7
30 Ps 30, 2. 4
209, 16 Apoc 2, 17
21. 22 Ps 33, 15
210, 9 Iac 1, 2
12 14 Rom 8, 18
17. 18 Ps 26, 14
21. 22 90, 15
25 54, 23
211, 1 2 Cor 1, 9

211,	4. 5	1 Cor 10, 33
	5. 6	9, 22
	6. 7	4, 3
	13. 14	Ps 62, 12
	16 18	Act 26, 1—29
	18. 19	Is 51, 12
	19	1 Mach 2, 63
	20. 21	Eccli 34, 16
	23. 24	Rom 2, 3
	25	Tob 4, 6
	26	2 Tim 2, 14
212,	1. 2	Mat 16, 27
		Rom 2, 6
213,	9	Ps 138, 11
	29	Col 1, 12
	29 /	Rom 8, 21
214,	1 \	
	17—21	Exod 33 sq.
	21. 22	Mat 6, 6
	25. 26	Ios 9, 14
215,	26—28	Mat 26, 41
216,	5 7	Ps 8, 5
	9. 10	Gen 44, 16
	17. 18	Ps 101, 28. 13
	19. 20	Sap 12, 15
	24	Dan 4, 13. 20. 22
	28. 29	1 Reg 1, 18
217,	11 13	Ps 38, 6
	25	112, 1
	26	91, 6
	26. 27	112, 2
	29	3, 4
		118, 111
	30	88, 17
	30. 31	2 Cor 12, 5
218,	1 3	Ioan 5, 44
	6. 7	Ps 58, 18
	8. 9	1 Tim 1, 17
	18	2 Esdr 1, 7
	23. 24	Sap 5, 18
	24 26	Dan 9, 7
		Bar 1, 15
		2, 6
219,	9. 10	Hebr 7, 25. 24
220,	13. 14	1 Cor 4, 20
	25	Ps 93, 10
	28	118, 130
221,	3. 4	Col 3, 4
	6. 7	Soph 1, 12
	8	1 Cor 4, 5
	28	Dan 2, 28
	30	Ioan 16, 13
	30. 31	Sap 1, 6
		Ier 17, 10
		Apoc 2, 23
		1 Par 28, 9

221,	31 /	1 Cor 12, 11
222,	1. 2 \	
	6	Eccli 32, 12
	8. 9	Gal 6, 14
223,	5. 6	Ps 59, 13
	10. 11	36, 39
	18. 19	124, 1
	19. 20	Sap 1, 1
	20—23	Tob 3, 21
	24	Iudith 13, 17
224,	14. 15	Ps 115, 2
		Rom 3, 4
	18. 19	Mat 10, 17
	19. 20	Mich 7, 6
		Mat 10, 36
	20. 21	24, 23
		Marc 13, 21
		Luc 17, 23
	22	Ps 21, 3
225,	7. 8	Prov 24, 12
	8. 9	Eph 4, 14
	19. 20	Iob 7, 1
		LXX
226,	15. 16	Gal 6, 14
	22. 23	Luc 21, 18
		Act 27, 34
	25—27	Prov 28, 1
	27. 28	Ier 29, 23
	28	Dan 13, 42
227,	1. 2	Luc 2, 35
	5. 6	Ps 18, 10
	12. 13	Prov 12, 21
	18	Apoc 2, 23
		Ps 7, 10
		1 Par 28, 9
		Ier 11, 20
		17, 10
	19	Ioan 7, 24
		1 Reg 16, 7
	22	Ps 7, 12
	25	Ier 16, 19
228,	1. 2	Ps 62, 4
	4. 6	1 Cor 4, 4
	6—8	Ps 142, 2
	16. 17	85, 17
	25	Mat 20, 4. 7
		21, 28
	26	Gen 15, 1
229,	1. 2	Apoc 22, 5
	4. 5	Rom 7, 24
	6. 7	Ps 119, 5
	7. 8	Is 25, 8
	29	Hebr 10, 32
	31	Apoc 14, 13
230,	1	Mat 26, 29
	13. 14	Tob 13, 13

230, 14. 16 Hebr 11, 13
15 1 Cor 13, 12
18. 19 Gen 47, 9
18 20 Eccl 2, 23
20 Rom 8, 21
231, 1. 2 Ps 70, 16
10 1 Cor 15, 28
Col 3, 11
11. 12 Mat 25, 34
24 Rom 7, 24
25 Iob 7, 20
29. 30 Ps 70, 12
30 26, 9
31 /
232, 1. 2 \ 143, 6
20. 21 Mat 6, 21
233, 1. 2 Gal 5, 24
13 2 Petr 1, 13. 14
14. 15 Ioan 17, 24
Iac 1, 17
234, 14. 15 Ps 37, 10
15. 16 Rom 8, 21
20 Eccl 3, 8
23 Soph 3, 8
23. 24 Luc 22, 18
27. 28 Ios 1, 7
30 Eph 4, 24
Col 3, 10
30. 31 1 Reg 10, 6
235, 26. 27 Hebr 6, 18
236, 10 Is 61, 3
11 1 Mach 2, 57
27. 28 Phil 1, 20
237, 11. 12 1 Cor 4, 7
14. 15 Ps 87, 16
25 118, 32
27. 28 Gen 31, 2. 5
1 Mach 9, 44
28. 29 Iob 29, 3
29 /
238, 1 \ Ps 16, 8
3 Ioan 17, 25
3. 4 17, 1
15 17, 11
16. 17 Iudith 9, 4
21 Eph 1, 11
Iudith 9, 5
21. 22 Iob 5, 6
22. 23 Ps 118, 71
26. 27 68, 8
30 Eccl 9, 2
239, 1. 5 Thren 1, 2
7 Deut 32, 39
7. 8 1 Reg 2, 6
Tob 13, 2
Sap 16, 13
239, 8. 9 Ps 17, 36
19 Ioan 16, 30
19. 20 Iob 42, 2
20. 21 Dan 13, 42
240, 4. 7 Is 11, 3
9. 10 Eccli 2, 19
241, 1 2 Mach 6, 25
17. 18 Ps 118, 32
19 21 Rom 8, 18
242, 8. 9 2 Reg 14, 14
9. 10 Rom 9, 23
22. 23 Mat 18, 8
243, 2. 5 Iob 10, 20. 21
9. 10 Sap 17, 10
11 Mat 3, 7
12 Rom 16, 16
1 Petr 5, 14
14 2, 11
15. 16 Exod 29, 25
17. 18 Luc 7, 46
18. 19 Ps 50, 19
244, 13 15 1 Petr 2, 11
19. 20 1 Cor 2, 14
31 / Mat 3, 10
245, 1 \ Luc 3, 9
1 Ier 1, 10
246, 1. 2 Prov 10, 9
2. 3 1 Thess 5, 22
13. 14 1 Petr 2, 13
17. 18 1 Cor 10, 33
21 Ps 28, 2
95, 7
23. 24 Act 5, 41
247, 6. 7 Mat 6, 20
11. 12 Act 20, 35
248, 6. 7 Mat 5, 44
Luc 6, 27
11. 12 1 Cor 13, 6
12. 13 12, 31
30. 31 Eccl 1, 10
249, 9. 10 Eph 2, 8
11 Rom 4, 11
11. 12 Eph 1, 14
16 18 2 Cor 4, 16
17. 18 Col 3, 10
22. 23 Gen 1, 26
Sap 2, 23
28. 29 /
250, 1. 2 \ Rom 7, 23
6. 7 Gen 8, 21
11. 12 Eccl 7, 30
18 2 Mach 3, 27
19. 20 Eccl 6, 5
Hebr 5, 14
23—25 Rom 7, 22
25. 26 7, 12

250, 28 Rom 7, 25
30. 31 7, 18
251, 12 Ioan 15, 5
12. 13 Phil 4, 13
29. 30 Mat 5, 3
31 Dan 3, 87
252, 1. 2 Ps 89, 14
4. 5 Gen 18, 3
5 2 Cor 12, 9
7–9 Ps 22, 4
13 Sap 8, 4
16–17 Eccli 6, 3
17 Is 14, 19
253, 3 Mat 9, 9
Marc 2, 14
Luc 5, 27
4 Ioan 14, 6
11 1 Tim 6, 19
12. 13 Ioan 8, 31. 32
13. 14 1 Tim 6, 12
14. 15 Mat 19, 17
16. 17 19, 21
17. 18 16, 24
22 16, 24
Luc 9, 23
25 Mat 7, 14
27. 28 Ioan 13, 16
15, 20
28 Mat 10, 24
Luc 6, 40
254, 3. 4 Ioan 13, 17
4–7 14, 21
7. 8 Apoc 3, 21
22. 23 2 Esdr 4, 20
23. 24 2 Par 32, 7
24. 25 1 Mach 3, 59
24 26 9, 10
255, 30 Is 49, 18
256, 3 Bar 4, 30. 21
11. 12 Iob 5, 11
15 Ps 18, 11
118, 103
22 2 Esdr 13, 22
257, 9. 10 Ps 118, 137
10. 11 18, 10
11 14 Rom 11, 33
17 2 Tim 2, 23
18 Tit 3, 9
24. 25 1 Cor 14, 33
258, 31 / 1 Ps 83, 12
2 20, 4
3 Rom 8, 29
4. 5 Ioan 15, 16. 19
5. 6 Gal 1, 15
6 Ier 31, 3
258, 12. 13 Ps 150, 1
17. 18 Mat 18, 10
19. 20 Sap 6, 8
22 Ioan 17, 21
259, 17 Eccl 3, 22
260, 16–19 Apoc 4, 10
5, 14
20. 21 Mat 18, 1
Marc 9, 33
Luc 9, 46
24 Mat 5, 9
25 Is 60, 22
25. 26 65, 20
26–31 / 261, 1. 2 Mat 18, 1. 3. 4
5. 6 Luc 6, 24
9. 10 6, 20
Mat 5, 3
10. 11 Is 38, 3
2 Ioan 4
3 Ioan 3. 4
262, 2 Ps 141, 6
4. 5 Phil 2, 21
7 Rom 8, 28
263, 1 Hebr 6, 18
2. 3 Ps 140, 8
3 24, 2
4 2 Cor 1, 3
9. 10 Ps 50, 2
68, 17
11. 13 Dan 9, 17
12. 13 Is 9, 7
13–15 2 Mach 6, 25

Tractatus V:

267, 6–8 Ps 2, 12
268, 26. 27 Hebr 12, 7
28. 29 Ps 118, 66
30. 31 / 269, 1 17, 36
6. 7 Ioan 13, 17
270, 21–23 Mat 25, 23
272, 5–7 Ioan 12, 25
21. 22 Gal 6, 10
31 / 273, 1–6 Phil 4, 8
20. 23 1 Petr 5, 8. 9
25. 26 Apoc 12, 12
275, 11. 15 Marc 14, 38
279, 22. 23 Ps 84, 5
281, 8. 9 24, 15
284, 28–30 Ioan 6, 38
285, 1–3 Mat 26, 42
6. 7 Luc 1, 38

285, 12. 13 | 1 Reg 15, 22
Eccl 4, 17
18–20 | Mat 12, 50
286, 6 | Gen 12, 4
7–10 | 22, 2—18
14–18 | Hebr 13, 17
289, 19. 20 | Prov 4, 23
290, 21–23 | Mat 12, 35
30. 31 | Ps 118, 109
291, 20. 21 | Mat 12, 36
21–24 | Iac 1, 26
292, 7. 8 | Mat 5, 37
29 | 20, 6
24. 25 | Luc 19, 17
25–28 | 19, 22—24
293, 3 6 | Ioan 9, 4. 5
25–27 | Luc 13, 3. 5
300, 1 3 | Ps 33, 2
306, 8–10 | Phil 3, 8
310, 10. 11 | Eph 5, 2
311, 7. 8 | 1 Cor 2, 2
9. 10 | Phil 3, 8
15. 16 | 1, 21
314, 12 | Luc 1, 48
315, 27 | Ps 17, 26
316, 13. 14 | Ioan 8, 47
4, 6
317, 26. 27 | Phil 1, 23
318, 1 | 3, 20
25–27 | Ps 83, 11

Tractatus VI:

327, 2. 3 | Ps 142, 9. 10
17. 18 | 1 Petr 5, 6

Tractatus VII:

331, 5. 6 | Eph 4, 23
19. 20 | Ps 118, 29
335, 15–18 | Luc 11, 23
337, 21. 22 | Ps 5, 9
22 24 | 16, 5
338, 18. 19 | 131, 14
19. 20 | Mat 17, 4
21. 22 | Exod 3, 5
340, 16. 17 | Luc 22, 46. 42
Mat 26, 41
Marc 14, 38
18. 19 | Rom 13, 11
341, 21. 22 | Luc 22, 41. 42
23. 24 | Act 7, 60
25. 26 | 9, 40
341, 27. 29 | Ioan 20, 11. 12
343, 27–29 | Ps 79, 6
344, 25. 26 | Luc 16, 22
345, 23. 24 | Iudith 6, 15
346, 24. 25 | Iac 3, 2
347, 20–24 | Ps 31, 5. 6
348, 8. 9 | Mat 5, 26
9. 10 | 25, 15—28
22. 23 | Prov 18, 17
353, 4. 5 | Luc 23, 46
5. 6 | Ps 30, 6
354, 17. 18 | Prov 21, 28
19. 20 | Act 9, 5
26, 14

Tractatus VIII:

359, 4–6 | Ps 118, 75
362, 4–6 | 118, 76
21. 22 | 1 Petr 1, 24
Is 40, 6
363, 13. 14 | 2 Cor 10, 18
364, 13 | Luc 4, 23
368, 13. 14 | Ps 114, 6
15. 16 | Iob 6, 10
370, 1–3 | Gal 6, 14
14. 15 | Eccli 21, 23
371, 1–3 | Ps 36, 39
8 | 148, 13

Tractatus IX:

377, 4. 5 | Mat 11, 29
378, 13. 14 | 5, 3
379, 4. 5 | Luc 1, 52

Tractatus X:

385, 5–7 | Rom 6, 11
8 | 2 Tim 2, 11
386, 11–14 | Apoc 14, 13
390, 28. 29 | Ios 15, 63

Tractatus XII:

399, 4. 5 | Ps 45, 11
400, 7. 8 | Mat 5, 8. 9
401, 30. 31 | 5, 8
402, 1

403, 16. 17	Ps 118, 105
26–28	118, 89. 90
404, 13 16	Ioan 1, 1
405, 31	1, 14
406, 1	1, 1
4 6	Luc 10, 22
9. 10	Ps 118, 144
408, 13 15	37, 10
411, 1. 2	Ps 32, 22
412, 6. 7	35, 12

Tractatus XIII:

423, 20	Ps 34, 3
22	70, 5
22. 23	9, 10
428, 6	26, 14
9. 10	Hab 2, 3
429, 20. 21	Phil 1, 21
430, 14. 15	Ier 1, 8
19. 20	Ios 1, 9

B. AVCTORVM ECCLESIASTICORVM:

In animo habebam hic quam fieri posset plenissime componere locos a Thoma de scriptoribus ecclesiasticis librisque liturgicis (Missali et Breviario) delibatos. In quibus colligendis postquam aliquantum temporis desudavi, neque mearum virium modulum fontibus illis perlegendis sufficere et locorum multitudinem intellexi tantam esse, ut verbis eorum allatis index in libelli ambitum excresceret. Meris autem librorum, in quibus invenirentur, titulis, capitibus, paginis indicatis parum prospici videbatur commoditatibus legentium maximam partem illis libris sine dubio carentium. Quibus incommodis ut aliqua ex parte mederer, in rem esse visum est et auctorum, e quibus Thomas sive sententias sive dicta mutuatus est, et recentiorum, apud quos illa excerpta leguntur, nomina hic enumerare. Sunt autem praecipue hi: S. Augustinus, S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Franciscus Asisinas, S. Gregorius Magnus, S. Hieronymus, Iohannes Vos van Huesden, Gerardus Magnus, Henricus Mande, Gerlacus Petri, Florentius Radewyns, Iohannes Ruysbroeck[1], Iohannes Schoonhoven, Henricus Suso, Wilhelmus Vornken, recentiores autem hi:

I. G. R. Acquoy, Het Klooster te Windesheim en sijn invloed. Utrecht. Gebr. van der Post. Eerste Deel, 1875. Tweede Deel, 1876. Derde Deel, 1880. Cfr. III 239.

Amort Plen. Cfr. p. 101—113.

Amort Scut. Cfr. p. 64–66.

N. C. K. de Bazel, Een verloren geacht werkje van Hendrik Mande. Leiden, I. W. van Leeuwen, 1886.

Becker. Cfr. p. 154—186. 252 sq.

id. Thomas a Kempis, schrijver der „Navolging". Overgedrukt uit het Jaarboekje van Alberdingk Thijm. 1897. p. 18—28.

[1] Maetschappy der vlaemsche bibliophilen (I. B. David), Werken van Jan van Ruusbroec. Iste — VIde Deel. Gent, C. Annoot-Braeckman, 1858—1868.

Becker. Een Brief van Johannes van Schoonhoven in: De Katholiek. Godsdienstig, geschied- en letterkundig Maandschrift. Leiden, I. W. van Leeuwen, 1884, 86. Deel p. 199—210, 352—361, 1885, 87. Deel p. 126—141[1].

id. Een Voorloper van Thomas a Kempis in: „Onze Wachter", Juni 1882.

Cruise p. 315—320.

id. Who was the author of „the Imitation of Christ"? London, Catholic truth society, 1898, p. 60—62.

id. Wer war der Verfasser der „Nachfolge Christi"? Ins Deutsche übertragen von J. Repen und A. Kloeckner. Klöckner & Mausberg, Kempen (Rhein) 1901 p. 69—71.

Gence passim.

Karl Grube, Gerhard Groot und seine Stiftungen. Köln, J. P. Bachem, 1883 p. 47. 56. 64. 72. 97—99.

id., Des Augustinerpropstes Johannes Busch Chronicon Windeshemense . . . Halle, Otto Hendel, 1886 p. 226—244.

Karl Hirsche in: Real-Encyclopädie für protestantische Theologie und Kirche . . . 2. Aufl., II 694.

H passim.

K. Kneller in: Pastor bonus. Zeitschrift für kirchliche Wissenschaft und Praxis. Trier. Paulinus-Druckerei, 1900 p. 153—163.

Malou p. 116—126; 391—402.

P. E. Puyol, De Imitatione Christi libri quatuor. Lutetiae Parisiorum, V. Retaux, M DCCC XCVIII, passim.

Santini I 170 sqq., II 127 sqq.

G. Schneemann, Ein Vorläufer des Thomas von Kempen in: Stimmen aus Maria-Laach, Freiburg, Herder XXII (1882) 253—265.

L. Schulze in: Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XI (1890) 581.

Spitzen p. 73—82. 150 sq.

Spitzen Nouv. p. 88—96. 145. 146.

Atque haec quidem hactenus. In quibus quoniam non indicatos repperi, hic subiungam locos, quos ex operibus SS. Augustini, Bernardi, Hieronymi excerptos P. Odilo Rottmanner O. S. B., investigator harum litterarum peritissimus, meo arbitratu utendos humanissime mihi obtulit. Quos brevitatis causa infra ita adferam, ut titulis operum tantum Mignianae Patrologiae Latinae tomos paginasque uncinis adscribam.

---

[1] Codices epistulae Iohannis Schoonhoven praeter eos, quos Spitzen et Becker commemorant, extant etiam in bibliothecis academica Bonnensi et urbica Coloniensi.

Ex Augustino:

7, 7–10	De Trin. l. IIII n. 1 (42, 885)
12, 28	In Ps. 36 Serm. 3 n. 20 (36, 395)
26, 13	Serm. 4 cap. 19 n. 20 (38, 44)
	Serm. 138 cap. 2 n. 2 (38, 764)
	Serm. 145, 4 (38, 793)
	In Ioh. Ev. tr. 9 n. 8 (35, 1462)
	In Ioh. Ev. tr. 32, 8 (35, 1646)
	In Ioh. Ev. tr. 83, 3 (35, 1846)
	In Ioh. Epist. tr. 5, 7 (35, 2016)
27, 13–15	In Ps. 54 n. 8 (36, 633)
80, 22–24	In Ioh. Ev. tr. 25 n. 10 (35, 1600)
116, 5. 6	Serm. 145, 4 (38, 793)
	Serm. 354, 6 (39, 1565)
167, 31 sq.	Confess. VIII 11, 25 (32, 760)
174, 4–7	Serm. 36, 6 (38, 217)
	Serm. 61, 11 (38, 413)
	Serm. 177, 3 (38, 955)
	Serm. 177, 8 (38, 958)
	Serm. 177, 2 (38, 954)
	In Ps. 143 n. 8 (37, 1868)
	De Trinit. l. XII c. 13 n. 21 (42, 1009)
	De Civ. Dei XI 25 (41, 339)
228, 6	Confess. IX 13, 34 (32, 778)

Ex Pseudoaugustino:

110, 25. 26	Specul. Peccat. (40, 991)

Ex Bernardo:

20, 4–6	Serm. 27 De Diversis n. 5 (183, 614)
23, 19. 20	Epist. 342, 3 (182, 547)

Ex Hieronymo:

116, 5. 6	Epist. 17, 1 (22, 359)

Ad 46, 12. 13: „qui multum peregrinantur, raro sanctificantur" addere hic placet, illa verba apud Augustinum non legi, quamquam legi *Amort Plen.* p. 101 et Puyol, Les quatre livres de l'Imitation, 1898 p. 95 adnotarunt. Ad quod explicandum Rottmanner quosdam probabile esse censet cogitasse de circellionibus sive circumcellionibus, qui unde nomen habeant Augustinus in Ps. 132 n. 3 (36, 1730) coniectura explanat, vel de monachis hypocritis provincias circumeuntibus, quorum mores perditos De opere monach. c. 38 (40, 575) describit. Verum quin illorum verborum, quae apud Petrum Blesensem (207, epist. 148) leguntur (cfr. Kneller, Pastor bonus I. I. p. 157) origo aliunde repetenda sit, dubitari non potest[1].

[1] Qui magnum numerum locorum inter se similium in Thomae scriptis obvios se dantium cognoscere cupiet, praeter

C. AVCTORVM PROFANORVM[1]:

7, 5	Aristot. Metaphys. I 1.
12, 27. 28	Senec. Epist. 12 extr.[2]
23, 19. 20	Ovid. Remed. am. 91.
35, 26. 27	Senec. Epist. 7.
162, 5. 6	Vergil. Bucol. X 69.
166, 19. 20	Cic. De Offic. III 1, 3.
	Pseudocic. Epist. ad Octavianum 8.
191, 12. 13	Lucan. Pharsal. I 135.
211, 2	Dionys. Cato.
245, 27. 28	Horat. De Art. Poet. 25.

libros, quos supra nominavi, non frustra inspectabit libellum, qui sic inscribitur: Musica ecclesiastica sine vocis signis; seu de forma poetica librorum qui inscribuntur De imitatione Christi, deque eorum concentu cum scriptis Thomae a Kempis. Ex utroque fonte locos parallelos collegit ac inter se comparavit Lud. Peters, presbyt. dioec. Ruraemondensis. Lugduni Batavorum. I. W. van Leeuwen. Hoogewoerd 89. 1901. 8°. 100 pp.

[1] Cave Thomam omnes, quos supra attuli, auctores profanos legisse putes; immo locos illos a lectione scriptorum ecclesiasticorum petivit, qui ipsi e florilegiis medio aevo pervulgatis velut e Dionysio Catone et operibus Alani de Insulis (Migne P. L. CCX) multa hausisse existimandi sunt.

[2] Cfr. Stephinsky in Historisch-politischen Blättern LXXXVII (1881) 243 sq.

Corrigenda:

p. 454 not. 1 lege: p. 94. 146.

p. 459 scripturae *optulit* et *oppone*, quas in contextu servavi, non erant in numero perversarum commemorandae.

p. 462 v. 2 ab infra lege: Psalmi.

p. 467 pro *A2* 19 5 24 11 (paginula v) lege: *A2* 41 15 33 21.

Quod p. 496 ad 301, 11 Thomam suspicatus sum scripsisse *vel ultra*, id iam parum probabile mihi videtur exemplum *ůl* pro *vel* per compendium scripti in lexicis diplomaticis non extare reputanti.

Tabulis photographicis adiectis hae autographi partes repraesentantur adscriptis huius editionis paginis versibusque:

I a.	fol. 21v	=	p. 48,	21	49,	27.
I b.	„ 22r	=	„ 49,	27	50,	30.
II a.	„ 30v	=	„ 70,	15	71,	20.
II b.	„ 31r	=	„ 71,	21	72,	24.
III a.	„ 57v	=	„ 133,	10	134,	22.
III b.	„ 58r	=	„ 134,	22	135,	28.
IIII a.	„ 79v	=	„ 178,	12	179,	15.
IIII b.	„ 80r	=	„ 179,	15	180,	19.
V a.	„ 133v	=	„ 292,	17	293,	16.
V b.	„ 134r	=	„ 293,	16	294,	16.
VI a.	„ 147v	=	„ 324,	7	325,	6.
VI b.	„ 148r	=	„ 325,	5	326,	4.
VII a.	„ 153v	=	„ 337,	26	338,	25.
VII b.	„ 154r	=	„ 338,	25	339,	22.
VIII a.	„ 165v	=	„ 365,	28	366,	27.
VIII b.	„ 166r	=	„ 367,	1	368,	3.
IX a.	„ 168v	=	„ 372,	13	373,	15.
IX b.	„ 169r	=	„ 373,	16	378,	4.
X a.	„ 175v	=	„ 391,	17	395,	2.
X b.	„ 176r	=	„ 395,	3	396,	2.
XI a.	„ 181v	=	„ 405,	17	406,	22.
XI b.	„ 182r	=	„ 406,	22	407,	26.
XII a.	„ 188v	=	„ 422,	14	423,	22.
XII b.	„ 189r	=	„ 423,	22	424,	25.

Ia

Ib

II a

II b





IIII a



et vexatur: ut levius feras tua minima. Et si tibi minima non videntur: vide ne et hoc tua faciat impaciencia. Sed tamen sive parva sive magna fuerint: stude cuncta pacienter sufferre. Quanto melius ad paciendum te disponis: tanto sapiencius agis et amplius promereris: feres etiam levius animo et usu ad hoc non segniter paratus. Nec dicas: non valeo hec ab homine tali pati: nec huiusmodi mihi paciendum sunt. Grave enim intulit dampnum et imputat mihi que numquam cogitaveram: sed ab alio libenter paciar et sicut paciendum videro. Insipiens est talis cogitacio: que virtutem paciencie non considerat nec a quo coronanda erit: sed magis personas et offensas sibi illatas perpendit. Non est verus paciens qui pati non vult nisi quantum sibi visum fuerit: et a quo sibi placuerit. Verus autem paciens non attendit a quo homine, utrum a prelato suo an ab aliquo equali aut inferiori: utrum a bono et sancto viro vel a perverso et indigno exerceatur: sed indifferenter ab omni creatura quantumcumque et quociescumque ei aliquid adversi acciderit: totum hoc de manu dei grataner accepit et ingens lucrum reputat: quia nil apud deum quamvis parvum pro deo tamen passum poterit sine merito transire. Esto itaque expeditus ad

IIII b



pugnam: si vis habere victoriam. Sine certamine non potes venire ad paciencie coronam. Si pati non vis: recusas coronari. Si autem coronari desideras: certa viriliter, sustine pacienter. Sine labore non tenditur ad requiem: nec sine pugna pervenitur ad victoriam. Fiat domine mihi possibile per graciam: quod mihi impossibile videtur per naturam. Tu scis quod modicum possum pati: et quod cito deicior levi exurgente adversitate. Efficiatur mihi quelibet exercitacio tribulacionis pro nomine tuo amabilis et optabilis: nam pati et vexari pro te valde salubre est anime mee. De confessione proprie infirmitatis: et huius vite miseriis. Ca. xx.

Confitebor adversum me iniusticiam meam: confitebor tibi domine infirmitatem meam. Sepe parva res est: que me deicit et contristat. Propono me fortiter acturum: sed cum modica temptacio venerit: magna mihi angustia fit. Valde vilis res quandoque est: unde gravis temptacio provenit. Et dum puto me aliquantulum tutum cum non sencio: invenio me nonnumquam pene devictum ex levi flatu. Vide ergo domine humilitatem meam et fragilitatem tibi undique notam. Miserere: et eripe me de luto ut non infigar: ne permaneam



VIa

pulchritudinē nec ea fulā forteā mira
metate greco eā · Nō optes ut mōste
rū tuū habitādet diuicias 2 alias de
fiaue: sz ut floreat oēs fides dom
nozū; 2 veruos sāc. et si alicubi
pulchra 2 suspiciosa videas. exaspe
pces 2 colerae p fidē dei 2 iuenias
fol.6c6 loca: sz nō sibi affectēt. Nō ibi
quo ades. pt eqn 2 nō ires ad
lacrimas hoīm. sz ymanes i ossu
fiducie opi tui: nec adeas ei gra
festiue illudo coz tuū 2 gaudebi
sup te angeli sc̄i. 2 ait sodiet te ab
pugnatoribz inimica ne diffidau
tibi sz viriliter agres 2 pbā ipsi ecclie
sc̄e ad sedulitē sacrā 2 ppm
tionē fidei nā tutiū. omnia caueas:
sz semp fidelia sectāe sic fecerūt pbi 2
hēc integra manēa. Attende quas vigi
lias ieiunia. et patientiā scōz. q habue
rūt vera sapientiā. p qua sōli do pla
cē studiorūt. Pius dns nō delinquat
oculos suos i iniqtatē tuā: sz rectos
cos ipestitue de laqueis supplantātiū ne
dentiscā malā fauciāt: q fodere vole

VIb

ydeū ab⁹ nuis 2 sepe ingemiscē ne di
mās vel seducāris · O2a pmio q ppes
inseruīt: deīdeq; aliis aīas vmis vel
ppriis sic prima caritas q vigt ppriis cō
pe de bēs de gra 2 mia 2 scōz meritis
q de suis pōabus et actibz hoīs. habe
as firmū ppositū te emendādi: 2 si cē
tū āmos possēs adhuc vnā. agita q ppe
nichil aliud vobis vnū sit: nō de o poss
pfecti seruire dēt. Cōtēpta vana appe
tendi cū tē. q tuo plene vinci cō
silio. gra superbiā. et gulā 2 auaritiā.
duplicia habet in corde et multiplicē ex
cessū stultū i ppa estimatōe sua: appa
ret sepe i vestitu. aptē in voce: i motu
incessu et cunctis re mozū. Nulla glie ē
manēs si referenti nō fuit. facit bonis
dissolui. pigre 2 ad spualia i oratōi
bus sopnolenta. et dormitat labor mē
dacia. nichil recreabitur a spūali exer
citio ab frenta ouē. et scabie lesis stu
dio. Fr̄e calcibus mollitie. figit labore.
odit cella. diligit fabulari. dulcedi
nis p umeribz. Attende ait mee dīne
dum nō certat mysticē aduersus tē

VII a

di no vis n'vcuri: noli cuspicio nil
cū. Oculi ducos sensuū: auo cor va
gū infiaūt. Quid pdest vide. q̄ nō
licet habe: fons sepe hauriē: vnde
maio: sō mḡnāt. Difficile ē ves pul
chrus vide: et nō affia vsis: p̄magis
se mal ispecta et nō stati cuīsa: aut
nouā generāt a' riuā ī carde cauali.
Ad cauendū gō lapsos ḡpros vel oculos: libera sic tuus p̄ fons ꝯ pedes
reacp ad cellā velut ad tm̄ quillatis
portū: fige m̄ea stabilitate ī chorū.
p̄ ordīē feruēte 2 latīē deuotam.
Non em̄ patiē cellā repidū 2 anxiū.
ī se diu mozai. Flecte stati genua
pel caput ictima aī arua fiūt: 2 sa
lutā papue ihū m̄ate dñam m̄im
Dicato. ardente: et ī plicā sepe hūc
ifu. Dec reges mea ī scalū scīz'
habitabo q̄m elegi eā. Dñe bonū ē
nos hic ē sīgr ora de sīdūbilia ūe:
locus em̄ iste sēc ē. Q̄ dū gō spūs
tuus reparet aut: sic cellā regeno
me ac dom̄ ac tumulū: donec tibi
aptet pdestinō celestē. Est em̄ via

VII b

brens de cella ad celū: si ī ea celeram
ureis vitā. est. Deide gestimues ve
racia: quid opacus sis fōte 2 locuē.
plange q̄d cam fragilis sis: q̄d leuī
tatī motu ī silus a ꝓpōsito sēc. 2 quid
luctuq̄ es si deū q̄didisti ꝓpē fabu
las: Ecce sine deo oīa vānus: in deli
rauit de deo mea mēs sinanitas.
Tenā dapno tuo erudiais ad cauelā
ꝑplorē fois habendā. Redi tandē ad
tepm̄: licet mḡnauq̄ 2 dstracta. Re
apera ī secreto: q̄d ī publico amisi
sa. Heu ruīo expleur sī prialo: ruīq̄
sine culpa rediē. Reū sua gemēs ru
ra: et oīa tibi nocua exclude. Audē
sis dei soli9: nec te moueat de cetero
spanadi dsuasor9. Vidi frequēt' cua
gātes: 2 nullū fructū mḡe fecundes.
Rompe labor is pel sarpte: ad breues
voces ruure. Rumia ep̄ psalteio vsi
alīs: ad euāgelicā ī pete ihū: q̄d ac cō
mone fiat: 2 tedīū pellat. Quid et p̄
sis diligēs oratoq̄ a' deuoq̄ actoq̄: si
dei seruicio ꝓfice ac ꝓfecerie ston
dis. Quis igr̄ sepissīe euagatōes
pricas mētis ipure: ad solita tamē

nitur ds accipm̃ z tacet vsq; ad tẽp⁹
q̃ue emendãe nõ vales. Per bonã
mo do tacẽdo: et aiãe re ad deũ magis
orãdo. Inquidẽ et tu ī nitis defini-
ueri sp̃ finis q̃. ꝓpons aut duis. Pnã
q̃d ymduitãnõ effugier nũ. Nuq se
ne male vndicãe: paucos habebit ꝛ
nos. Displicebat sp̃ malũ: placet
ꝛ meritũq mali. Tristeãr fr̃ale
y mutãr̃ nõ ĩcẽũ nouit amãe. Ex
terminat semĩnariũ lites: q̃ habitat p
mũ cupiditatis. Q̃ue d̃ue fines ꝓ
nacos acreuerit: nõ saciãr̃ amato
res suos. sz ipleãr̃ ꝛ torquẽr̃. De sẽ
ipsũ: et desines dignari. Nul
stabile sub sole: sz ĩcẽti mutãr̃ ꝛ
ros ꝛ honores. Et stabilẽ nemo ĩ
ī solo deo. Ipse dat stabilẽ fũda
mentũ: humiliatus ãt mercẽ sue gr̃e
ãe. Cum ī deo ardet: sublimet ꝛ
proficit. Et qui deũ pure q̃rit: fra
le cõtubernio ceti. Et sepiũ q̃rit: sep
sui ĩemet. Denarr̃ dei testimoniũ
legũ vlt ad omẽ vbũ. Fluctuat
sp̃ aĩm̃ vsq; dũ ostendat q̃rit ꝛ tueãr
sp̃ deo dum lenitas cordis: ꝛ omnis deũ
non est pax nec requies.

De spiritualĩ copia ꝛ sꝑuacuãe sua
ꝓpria gr̃ie: meritũ nitne. f. v.
grauior ẽ paupertas mentis.

Copia spualis: duria afflictio ẽ aĩe.
Afflictio sepe ĩstus: mirũ solatio
rũ subtracto. Erudite ĩ aĩm̃
angelis: nedũ se psumat ī bonis.
Dixit ge dño: quid tibi sit ꝓfuꝫ.
Ipse dest̃ salute: q̃d tu vehemẽt
affectas. Est ecã sepe pro te: q̃d tu
optimas tibi ad̃uidi. Placuit sibi
aspꝛ ī gr̃iã: sz medicus dat. q̃ no
ui salubrius esse. Quam q̃ueces ho
mo ꝓfectus: q̃ stabilis ĩus et ĩtus
humor ẽ pacẽ ī medias: q̃ duces
ī ĩtes optibi. Nulla res ꝓdest ex
terior: si meliorẽ gr̃iã desit ex ĩus
Deo dulcedĩe suã tibi subtrahit.
ne miserie. ꝛ nitas sic acquirit: ne
sibi pis hãc gr̃iã assarbãr. Ho
mo est esse ī cognitus ꝛ tanq̃ ad
ui gens: q̃ in domo pulchra cũ gsci
entia mala. Nuq absolutionẽ dei est
optatus: oĩbz fastidit q̃ mũdi sensi
bus offert. Cui sensibꝫ te celesti re
ꝛ ꝓfũ: ꝛ tota deo placet ẽfũde bi
ãdine tenebꝛis cor tuũ ꝛ obtenebra
tũ. Nec est ad dñm̃ clamãe ꝛ fletꝰ

IX a

laude diuina. Ad excitandū g° mētē tuā i
deū nōis laudē: lege dū vacat orōnē
hāc subsequētē si placet. Cuncto ad
Deus meus laudandū dign fuent
laus mea et glīa mea. Cupio te
laudare tam excelsa voce et tā deuo
ta mēte: sicut vnqꝫ laudaris ab ali
qua creatura ī celo et ī tr̄a. Desidero
te honorificare tā magno et digno
honore: sicut vnqꝫ honorificatus es
ab aliq° scō ī regno tuo celesti. Opto
te venerari et amare tā ardenti af
fectu et amoroso corde: sicut aliqs de
uotus ⁊ pfectus hō te dilexit ⁊ dili
git ī hoc mūdo. Renouet sp̄s in me
tui amoris sacer ⁊ purus affectus: et
velut ignis desup accēsus īnteriora me
a et cor meū exurat: oīa q̄ interiora
mea purget et īflāmet: ut nil vi
ciorꝫ in me remaneat: qđ oculos tue
claritatis offendat. O deus meus cor
dis mei scrutator verus: corā te est
omē desideriū meū ⁊ multiplex ge
mitus meus ī defectibꝫ meis: nam
pre copia īterne suauitatis ac cari
tas defic' sepe sp̄s meus. Offero igit̄
tibi desideriū desiderii mei ī laude
nōis tui: accipe vota mea ī holocaustū

IX b

matutinū: et orō mea sicut incensū
acceptissimū ad te ascendat ⁊ placeat te
ternū. Amen. Explicit libellꝫ de re
cognitione ꝓprie fragilitatis.

Incipit recommendacio humilitatis q̄
est fundamentū oīm virtutū.

Discite a me quia mitis sū et
humilis corde: dicit dn̄s. Sum
mus magr̄ et legifer nr̄ dn̄s ihs xp̄s
humilitatē discē nos hortat: quā quisq̄
sepe seruaueit atqꝫ pfectus erit: sine
qua nulla actio ad salutē valet: qa ī
vanū laborat q̄ sine humilitate ali
qd facere conat. Est aūt pma lectio xp̄i
humilitas cordis q̄ fundamentū oīs
virtutis: et necc̄ria ad puenīendū
eterne salutis. Aduertat igit̄ hanc sa
cram lectionē: quicūqꝫ desiderat habe
re nunc gratiā. et ī futuro vitā eternā.
Qui vero istā humilitatē negligit:
quicqd agit ⁊ cogitat: totū destruit
et amittit. Doctrinā igit̄ xp̄i audi
ant omēs xp̄iani: oēs religiosi. oēs
sacerdotes omēs plati oēs subditi
omēs nobiles et vulgares. oēs
docti viri et indocti: quia nō elata
sꝫ humilia docet xp̄s dn̄s nō vana sed

X a



X b



XI a

pductu. sz ex pre eternali genitu: p morta
libz aut in tpe ex vgine incarnatu. O etnu
ubu dei. immensu et infinitu. angelo. esca
et hoim: qd sumptu no consumit. nec in e
dente transfert. sz sumente in se transmutat:
et ab oi creato bono. ad etnu incomprehensi
bile bonu transducit. O quid e cognoscere u
bu dei: qd e audire ubu dei. no hois non
angeli: no alicuius creature existentis sub celo.
In sinu patris est ubu: in secreto manet
vnigenitus patri coeternus et coequalis. O qs
pt comprehendere illud aut cognoscere: nisi p
ubu ubi: Hinc ubu in carne aut. Nemo no
uit filiu nisi pt. et neqz patre quis nouit
nisi filius: et cui filius voluit reuelare. Opus
est ergo reuelatione ubi: ut intelligatur ubu:
Orat propheta ad capiendu ubu: intellectu
inqd da mi et diuina. Vita et salus aie cre
dere ubo. diligere ubu: et in ubo sup sperare.
Cupit aia fidelis frui ubo: sz no datur vi
dere illi nec prius expiri: n voluntate et reue
latione ubi. Conari pt. desiderare pt: sz com
prehendere no pt: nisi sapiencia voluit in spi
ritu reuelare. Para ergo te aia mea: et fac
qd potuis. sede sola. tace ab oi strepitu
viciorum: nec quicquid te moueat foris: nec
intus conturbet. Amor summi boni: despice

XI b

omne quale. Conte te ex toto intus: ascende
paulisper supius. Leua te supra te. transcende oe
qd in tpe fit: relinque omne qd creatu e. ex
clude quidqd modu habz uel gradu quantulibz
altu: ut inueias ubu increatu: sup omnem crea
tura cognitionem exaltatu. Quantu te ubu iuuat
tantu poteris: quantu te illuminat tantu videbis: quan
tu te accendit tantu ardebis et amabis. In v
bo vincis mundu: in ubo prualebis ad usus
omne malu. In ubo firmabeis in uirtute: in
ubo exaltabeis supra virtutem. Propter ubu dei
relinques oia. patrem videlicet et matrem. aiaos
et proximos. id est quod caro et sanguis suggerit
despicies: et adherebis ubo. ut vnus spus cu v
bo p amorem fias: ita ut nichil aliud velle aut
nolle in paruo uel in magno. in tpe uel in futuro
velis aut affectes: nisi qd eterne uitati summe
placeat. Propter hoc vnitu ubu cognoscendu
et amandu: oia nobis scripta sunt et dicuntur.
Dixerunt aut sci dei et plurima scripserunt si
cut datu e et capabile hoibz fuit: no tn p
ut est in se. ubu dicere vnqm potuerunt. Oia
sacra ubia ex illuminatione eterni ubi ex ipso omne
verum omne bonum omne scm: oia virtus oia potestas
oia sapia et intellectus. Per exteriores aut voces
et uborum significationes pauit nobis iter ad q

XII a



XII b



#WADHWA

WITHDRAWN

BX 890 .T466 1902 v.2
Thomas, 1380-1471.
Thomae Hemerken a Kempis
canonici regularis ordinis

G.E.STECHERT
& Co.
NEW YORK

[redacted]HOLIC THEOLOGICAL UNION
[redacted]
3 0311 00180 3360